INSTITUTIONES IMPERIALES JUSTINIANEAE AD COMPENDIUM...

Ernst Cothman, Giovanni Battista Coccini

INSTITUTIONES IMPERIALES JUSTINIANEÆ

AD

COMPENDIUM REDACTÆ

AB

ERNESTO COTMAN Jurisconsulto.

ROSTOCHII

Typis Joachimi Pedani,

ANNO

M. DC. XVII.

ERNESTUS COTHMAN FILIO FRIDERICO,

Sanitatem animi & corporis precatur.

Cum nuper, fili charissime, meditationes sacras ex S. Augustini operibus excerptas de remedijs omnis generis calamitatibus & pressuris salutariter adhibendis tibi ad legendum & cogitandum proposuissem, non multò pòst Deus optimus maximus, à quò calamitates immitti ac permitti primum meditationum illarum remedium docet, te paternè invisit, & gravi atq; diuturno morbo percussit. Et data est nobis occasio Jehovæ Deo magis magisq; adhærendi, & quod scripto comprehenderam in usum transferendi. Neq; defuit felix successus & eventus prosper, quem decimum earundem meditationum remedium promittit: Etsi enim Jehova iram in nos ostendebat, tamen misericordiam suam à nobis non auferebat, sed te ex morbo lethali educebat, & me in mœrore jacentem erigebat. Minores sumus cunctis miserationibus Domini nostri & misericordiæ ejus meritò deputamus, quod non simus consumpti. Filium Dei mediatorem & intercessorem nostrum toto pectore invoco ac precor, ut me senescentem & te adolescentem Spiritu suo sancto regat & gubernet, ut vocationis nostræ officia fideliter faciamus. Et quia juris studio operam dare cepisti, viam compendiariam, quam in vasto juris Oceano navigaturus tutò sequaris, nunc monstrare tibi volui, eamq; ceteris etiam Legum studiosis confido gratam & utilem fore. Salve, mi fili, & time Deum, ne deficias, ama Deum, ut proficias. Dabam Gustrovij 4. Februarij Anni 1617.

JEHOVA AUCTORE

DE

JUSTITIA ET IURE.

TITULUS I.

IUri operam daturum, prius noſſe oportet, unde nomẽ Juris deſcendat. Eſt autem à Juſtitia appellatum. *l. 1. in pr. D. de Iuſtit. & Iure.* Juſtitia eſt fons Juris, & Jus eſt rivulus juſtitiæ, ſive, de fonte Iuſtitiæ *Auguſt. de civitat. Dei lib. 19. cap. 21.* Eſt juſtitia radicale principium totius Juris & legalis ſcientiæ. *Dyn. & Ioan. Faber. in proœmio num. 6. h. t.* Ius eſt ars boni & æqui, ſive quod perinde valet, eſt ars juſtitiæ. *d. l. 1. in pr.* Iuſtitia alia eſt univerſalis, alia particularis. Illa in obedientia Deo debita & ad Decalogum congruente potiſſimum

consistit, quam cum nullus hominum præstare possit, ad Christi Salvatoris nostri obedientiam & Iustitiam tollentem peccata nostra, & impios justificantem confugiendum est. Deinde justitia universalis in charitate & dilectione, qua unusquisq; sibi & proximo obstringitur consistit, & universum virtutum chorum in se complectitur. Particularis justitia est illius universalis justitiæ pars quædam quæ universum virtutum orbem ambitu suo non comprehendit, sed in suum cuiq; tribuendo præcipue occupatur & in jure dicendo singula quæq; attingit, & eo nomine à justitia universali differt. Iustitia particularis est constans & perpetua voluntas suum cuiq; tribuendi §. 1 *h t l 10 D. eod.* sive Constantia propensæ voluntatis ad suum cuiq; tribuendum. *Cujac. hic.* Est enim Iustitia virtus animi ac voluntatis, non quidem vanæ, inanis, & otiosæ, sed efficacis fructuosæ, ac negotiosæ, & tamen

men non ex opere, quod vel per se erroneum esse, vel si rectum & justum est ab homine injusto fieri potest, sed ex animo & voluntate justitia est æstimanda. *d.* §. *1. d. l. 10.* Sic de *Fabricio Pirrus* dixisse, fertur, quod facilius Sol à cursu suo, quam iste à proposito & voluntate recta dimoveri potuerit. Sic *Cicero* Virum, inquit, qualis Lepidus fuerit, opinione labi posse, voluntate à republica vel Iusticia dissidere, non posse. *Philip. 13.* Iustitia particularis est commutativa vel distributiva. Illa est justa commutationis rerum in contractibus & negotijs hominum, & justa pœnarum in maleficijs & delictis ad Arithmeticæ proportionis normam facta & exæquata ordinatio. *l. 2. l. 3. De rebus credit. l. si quenquam. C de Episc. & Cler.* Distributiva justitia est, justa & conveniens personarum, officiorum, munerum, immunitatum præmiorum, delictorum, pœnarum, cæterarumq; rerum &

negotiorum ad geometricæ proportionis normam certis & gravibus de causis exacta ordinatio, Iustitia porrò alia est naturalis, alia civilis *l. scire oportet. §. si enim D. de excusat. tutor.* Illa suum cuiq; tribuit secundum naturalem intellectum. *l. cum pacto D. de servis export.* & secundum totius rei æquitatem. *l. bona fides. D. deposit.* Hæc suum cuiq; tribuit secundum æquum & bonum constitutum his, qui ejusdem sunt civitatis. *d. l. cui pacto. h. t.* Iurisprudentia est rerum divinarum & humanarum notitia, justi atq; injusti scientia *d. §. 1. d. l. 10. D. eod.* Iurisprudentia res divinas atq; humanas bene & prudenter, hoc est, ex arte boni & æqui disponit *l. 1. C. de veteri jure enucleand.* Idem est juris officium cujus præcepta tria sunt. Honeste vivere, alterum non lædere, suum cuiq; tribuere. *§. 3. h. t. d. l. 10. §. 1. D. eod.* Primum est bonorum morum præceptum, alterum est charitatis & dilectionis mandatum, ter-

tertium justitiæ proprium præceptum est, quod jus suum hoc est quod cuique debitum & conveniens est, ita tribuit, ut res nō distrahatur ab ullius justiore repetione, *l. bona fides D. Deposit.* Quid justitia cujus munus est suum cuiq; tribuere? Unde fit in ipso homine quidam justus ordo naturæ, ut anima subdatur Deo & animæ caro, ac per hoc Deo & anima & caro, *Augustin. de civitat. Dei lib. 19. c. 4.* Ius vel sacrum est vel publicum, vel privatum *l. ut inter C. de sacros. Eccles.* aut quod perinde valet jus vel divinum, Vel humanum est. *l. 1 D de ritu nuptiar. cap. 2. distinct. 1.* Illud libris Propheticis & Apostolicis continetur & titulo primo libri primi Codicis attingitur. Hoc vel publicum est, vel privatum. *d* §. 3. *d* §. 1. Publicum jus est quod ad statum rei Romanæ spectat, privatum est, quod ad singulorum utilitatem pertinet, & tripertitum est: Collectum est enim ex naturalibus præceptis,

aut gentium, aut civilibus *d. §. 3. d. l. 1. §. 2. D. h. t. Aul. Gellius lib. 13. cap. 3.*

De Jure Naturali, Gentium, & Civili.

Tit. II.

Ius naturale est quod natura omnia animalia docuit. *§. 1. h. t. l. 1. §. 3. D. h. t.* Nam jus istud non humani generis est, sed omnium animalium, quæ in cœlo, quæ in mari, quæ in terra nascuntur. Hinc descendit maris atq; fœminæ conjunctio hinc liberorum procreatio, hinc educatio *d. §. 1. §. 3.* Benedixit Iehova Deus animalibus brutis Crescite, inquiens & multiplicamini *Genes. 1. vers. 22.* Benedixit hominibus crescite, aiens, & multiplicamini. *Genes. 1. vers. 28.* Unum est divinum præceptum, una naturalis doctrina, adeoq; unum jus propagationis & tutelæ omnibus animalibus commune. Quo Augustinus respicit, quando scribit, inconcussam naturæ

turæ legem etiam in beſtijs promulgatam eſſe *lib. 1. cap. 26. de doctrina Christian.* Et animalia bruta habere quendam dilectionis affectum, *de Gen. ad literam lib. 1. cap. 18.* eſſe quandam eorum voluntatem, *de civitate Dei lib. 5. cap. 9.* ineſſe illis quandam ſcientiæ ſimilitudinem, *de civitate Dei lib. 11. cap. 27.* nec tamen vera juris ſocietate beſtias hominibus jungi, *lib. 2. de mor. Manich. cap. 13.* Quocirca Ulpianus ac Iuſtinianus, conjunctionem illam maris & feminæ rationalibus & irrationalibus communem homines matrimonium appellare ſubijciunt, ut beſtiarum commixtiones vagas ab honeſto hominum Conjugio diſtinguant. Ius gentium eſt, quod divina quadam providentia conſtitutum eſt, *§. ſed naturalia h. t.* quod cum ipſo genere humano rerum natura prodidit. *§ ſingulorum 1. de rerum diviſ. d. §. ſed naturalia.* Quod ſemper firmum apud omnes peræq; gentes obſervatur. Quod uni-

versæ terræ more fit, semperq; bonum & æquum est, *l. penult. D. h. t.* Ius civile est, quod quisq; populus sibi jus constituit. *l. jus civile D. h. t.* Ius igitur naturale est, quod natura docuit *d. §. 3. d. l. 1. §. 3.* Ius gentium quod naturalis ratio docuit. *§. jus autem h. t. l. omnes populi D. eod.* Ius civile, quod occasio civilis docuit *l. 2. §. his legibus 5. & §. deinde 9. D. de orig. Iur.* Ius naturale proprium est omnium animalium *d. §. 1.* jus gentium proprium est omnium hominum *d. l. 1. § fin. h. t.* Ius civile proprium est singulorum populorum, *d. §. jus autem d. l. jus civile d. l. omnes popul.* Ius naturale cum homine natum est, jus gentium cum genere humano, sive cum gentibus, Ius civile cum civitatibus, Ius naturale simplex & sibi semper æque constans & per se immutabile est, Ius gentium est quidem aliquo modo immutabile, *d. §. sed naturalia*; sed aliquando naturæ vel juri naturali repugnat *§. jus autem h. t.*
§. 1. de

§. 1. *de jure personarum.* Ius civile juri naturæ vel gentium aliquid vel detrahit, vel addit, *d. l. Ius civile*, & per se mutabile est, increscit & decrescit secundum temporum; quibus præsidet; conditionem non pariter euntem. *August. lib. 3. confess. cap. 7.* & hisce casibus tantum abest ut jus mutare malum sit ut etiam malum sit, nisi mutetur *August. epistol. 15. de lib. arbitr. cap. 6. & d. cap. 7.* Ex jure gentium bella sunt orta, & captivitates secutæ, & servitutes, discretæ gentes, regna condita, dominia distincta, agris termini positi, ædificia collocata, omnes pene contractus introducti, ut emptio, venditio, locatio, conductio, societas, depositum, mutuum, & alij innumerabiles, *d. §. jus autem h. t. l. & hoc jure D. eodem* Ius civile constat, aut ex scripto, aut sine scripto: Scriptum jus est lex, plebiscita, Senatusconsulta, Principum placita, magistratuum edicta, responsa prudentium. §. 5. *h. t. l. 6. D. eod.* Lex est sanctio

ctio & jussum ejus, qui juris condendi vel constituendi auctoritatem habet, cujusmodi sunt Reges, *d. l. 2. §. postea 2.* Decemviri *d. l. 2. §. postea* populus Romanus, *§. 6. h. t.*

Plebiscitum est quod plebs magistratu plebeio rogante jus, constituit *d. §. 6.* Senatus Consultum est quod senatus jubet & constituit, qui uti vice populi consulitur, sic, quod consulit, legi simile vel vice legis est, *l. 1. in pr. de offic. ejus cui mandat. est jurisd. d. §. 6. in fin.*

Principum placita sunt epistolæ, decreta, & edicta, quæ constitutiones appellantur, *§. 7. h. t.* Epistola est rescriptum principis ad relationem magistratus, vel petitionem consulentis & supplicantis de re dubia emissum, *d. §. 1.* Decretum est sententia principis super negotio inter duas partes litigantes controverso lata *d §. 7. verb. cognoscens.*

Edictum est, quod princeps propria

pria voluntate necessitatis, utilitatis, vel honestatis publicæ causa promulgat, *d. 3.* §. *7.* Sunt vero constitutiones vel rescripta principum quædam personalia, quædam generalia Illa personas, quas concernunt, non egrediuntur, neq; ad exemplum trahuntur. Hæc omnes tenent & obligant *d.* §. *7.*

Magistratuum edicta, puta prætorum proconsulum, præsidum Ædilium curulium, similiumve, §. *8. h. t.*

Responsa prudentium sunt, sententiæ & opiniones eorum, quibus permissum erat, jura condere. §. *9 h. t.* Inde juris conditores, & auctores nuncupabantur, *l. 1. C. de Com. ser. manumiss.* Horum tanta erat authoritas, ut à responso eorum, judici recedere non liceret, cujusmodi auctoritas, si Iure scripto destituamur receptis interpretum placitis etiam hodie attribuitur. Ex non scripto jus venit solo usu comprobatum, & consuetudo di-

 citur

citur, quæ eſt jus non ſcriptum, quod uſus populi frequens & inveteratus communi aſſenſione recepit, §. *10. h. t. l. de quibus cum ſeqq. D. de legibus*, ſed tamen hujus juris non tanta eſt auctoritas, ut legem vel rationem vincat. *l. 2. c. quæ ſit long. conſuet.* niſi forte illam major ratio ſuaſerit *l. 1. C. d. t.* vel rerum perpetuo judicatarum auctoritas firmaverit *d. l. 1. l. nam Imperator. D. de LL* Iſtis enim caſibus, conſuetudo legem vincit omne autem jus, quo utimur, vel ad perſonas pertinet, vel ad res, vel ad actiones, §. *fin. h. t.* Et prius de perſonis videamus, nam parum eſt, jus noſſe, ſi perſonæ quarum cauſa conſtitutum eſt, ignorentur. §. *fin. h. t. l. 1. & l 2. D. de ſtat. homin.*

De Jure Perſonarum.

Tit. III.

Perſona hoc loco nihil aliud eſt, quam homo. Sunt vero omnes homines aut liberi aut ſervi. §. *1. h. t. l. 3.*

D. de

D. *de stat. hom.* Libertas est naturalis facultas ejus, quod cuiq; facere libet, nisi si quid vi aut jure prohibetur, *d.* §. *1. l. 4. D. de stat. homin.* Vis quæ impedit libertatem, vel justa est, vel injusta. Vis justa, ipsum jus libertatis tollit, puta, bellum; Vis injusta naturalem tantum facultatem quidvis agendi cohibet, si verbi gratia, infirmior. à potentiore detineatur. Jus porrò libertatem impedit, quando nimiam quidvis agendi licentiam constringit *l. nemo. D. de leg. l. 1. l. non dubium C. de legib.* Servitus est constitutio juris gentium, qua quis dominio alieno contra naturam subjicitur, *d.* §. *1. d. l. 4.* §. *1.* Servi autem ex eo appellati sunt, quod Imperatores captivos vendere ac per hoc servare non occidere solent. *Exod. 14. vers. 12.* §. *1. h. t. d. l. 4.* §. *1.* servitus ergo si libertatem spectes, contra naturam est, si vitam, secundum naturam, nam in omnibus fere gentibus quodammodo vox naturæ ista

ista personuit, ut subjugari victoribus mallent, quibus contigit vinci, quam bellica omnifaria vastatione deleri. *Aug. de Civit. Dei lib. 18. c. 2.* non verò soli ab hostibus capti, sed & ex servis vel ancillis post geniti vel editi servitutis jugo subjacent § *2. h.t.* Deniq; major *25.* annis si ad pretium participandum sese venundari passus sit, Jure Civili servus fit *d.* §. *2.* Cæterum in Servorum Conditione nulla est differentia: In liberis multæ differentiæ sunt: aut enim sunt ingenui, aut libertini §. *fin. h. t.*

De Ingenuis.

Tit. IV.

Ingenui sunt, qui ex libera matre nati sunt, *l. 5. § 2. D. de Stat. homin.* & statim, ut nascuntur liberi fiunt, §. *1. h.t.* sufficitq;, si matrem habuerint liberam, vel conceptionis, vel gestationis, vel editionis tempore, *d.* §. *1. d. l. 5.* §. *2.*

De Libertinis

Tit. V.

Li-

Libertini ſunt, qui ex juſta ſervitute ſunt manumiſsi §. 1. h. t. l. 6. Manumiſsio autem eſt, de manu, ſive de dominica poteſtate miſsio, id eſt, datio libertatis §. 1. h. t.

Quibus ex Cauſis Manumittere non licet.
Tit. VI.

Manumiſſio debet fieri ſecundum Iuris regulas proinde qui in fraudem Creditorum manumittit, nihil agit.

De Lego Fuſia Caninia Tollenda.
Tit. VII.

Hoc loco Interpretes docent, argumentum à contractibus ad ultimas voluntates procedere & valere affirmativè non negativè.

De ÿs qui ſui vel alieni Juris ſunt.
Tit. IIX.

Secunda perſonarum diviſio eſt, quod quædam perſonæ ſui Juris ſunt, quædam alieno Juri ſubjectæ. Rurſus

ſus earum, quæ alieno Juri ſubjectæ ſunt, aliæ in poteſtate parentum, aliæ in poteſtate Dominorum ſunt. Poteſtas Dominorum eſt à Jure Gentium. Poteſtas parentum à Jure Civili. Utraq; à Deo: nam non ſine Dei providentia, in cujus poteſtate eſt, ut quisq; bello aut ſubjugetur, aut ſubjuget, quidam ſunt regnis præditi, quidam regnantibus ſubditi: *Aug. de Civit. Dei lib. 18. c. 2.* Unde poteſtas Dominorum extitit, in qua ſunt ſervi, in quos Domini vitæ necisq; poteſtatem habent, ſed hoc tempore nullis hominibus licet ſine cauſa legibus cognita in ſervos ſuos ſuprà modum ſævire, nam ex Conſtitutione Divi Pij Antonini, qui ſine cauſa ſervum occiderit, non minus puniri jubetur, quam qui alienum ſervum occiderit. Etſi enim Dominorum poteſtatem in ſervos ſuos illibatam eſſe oportet, nec cuiquam hominum Ius ſuum detrahi, tamen Dominorum intereſt,

ne

ne auxilium contra sævitiam, vel famem, vel intolerabilem injuriam denegetur ijs, qui juste deprecantur. § 1. *h. t.* Et debent Dominis servi non tam conditionis necessitate quam officij delectatione adhærere, & Domini servis summi Dei, scilicet communis Domini consideratione placabiles, & ad consulendum, quam coërcendum propensiores esse, *August. de Eccles. cathol. lib. 1. d. 30.* & scire, quod bonus etiam, si serviat, liber sit, malus autem, etiamsi regnat, servus sit, nec unius hominis, sed, quod gravius est, tot Dominorum, quot vitiorum. *Aug. de Civit. Dei lib. 4. c. 3.* Deniq; intelligere, quod servus & Dominus diversa sint nomina, sed homines & homines paria sint nomina. *August. Ps. 124.* Quo circa servis ob sævitiam Dominorum ad asylum confugere permittitur, quos si causa cognita appareat, durius habitos, quam æquum sit, vel infami injuria affectos vendi

Judex

Iudex jubet, hac conditione, ne in potestatem Domini revertantur. §. *fin: h. t.*

De Patria Potestate.

Tit. XI.

In Potestate nostra sunt liberi nostri quos ex justis nuptijs procreavimus §.*1.* *h.t.* Nuptiæ sive Connubium proprie est civile nomen, matrimonium est naturale nomen, sed in usu Iuris promiscuè usurpantur. Nuptiæ igitur sive matrimonium est viri & mulieris conjunctio individuam vitæ consuetudinem continens §.*2.* *h.t.* Est maris & fæminæ conjunctio, consortium omnis vitæ, divini & humani Iuris communicatio *l.1. D. de ritu nuptiar.* Contrahitur enim matrimonium hoc animo & voto, ut nunquam dirimatur *l. 1. D. de Iure dot.* Ceteræ societates coiri possunt ad tempus, Societas Conjugalis non nisi in æternum, h. e. quamdiu socij vivunt. Potestas vero

patria

patria Ius est proprium Civium Romanorum, cum nulli alij sint homines, qui talem in liberos habeant potestatem, qualem Romani habent. Sunt igitur in potestate nostra filij & ex filijs editi nepotes, pronepotesve. Sunt etiam in potestate nostra filiæ, sed qui ex filia nascitur, non est in nostra potestate sed in potestate Patris sui: §. *fin. h. t.* filia enim mulier facta familiæ suæ caput sive membrum & finis est. *l. pronunciatio in fin. D. de verb. sign.* Est nempe membrum familiæ, & inde dicitur uxor filiafamilias *l. 5. de repud.* Est etiam finis suæ familiæ *d. l. pronunciatio*, quia in alienam familiam liberos edit, & cum ipsa nomen familiæ suæ interit, neq; ad hæredes descendit, sed & insignia finem habent, & liberi ex illa nati insignia patris sui usurpant.

De Nuptijs.

Tit. [...] Iustas

Iustas nuptias inter se Cives Romani contrahunt, qui secundum præcepta legum coëunt: masculi quidem puberes, fæminæ autem viri potentes, sive patresfamiliarum sint, sive filij familiarum: dum tamen, si filijfamiliarum sint, consensum habeant parentum, quorum in potestate sunt. §. *1. h. t.* Nam hoc fieri debere, & Civilis & naturalis ratio suadet in tantum, ut jussus parentis præcedere debeat. Naturalis ratio est ipsum Ius divinum filijs præcipiens, ut parentibus pareant, & honorem debitum præstent. Civilis ratio est ratio potestatis, & inter cætera in eo consistit ne per filiorum f. matrimonia patribus invitis suus agnascatur heres §. *sed si quis* 1. *de adoptionibus*. Prior ratio tam matrem, quam patrem complectitur. Posterior ratio solos patresf. concernit. Ac quamvis inter servos quoque, & ancillas Iure naturæ conjugium recte contrahatur, tamen illam conjun-

ctio-

ctionem Ius Civile nuptiarum, sive connubij, vel etiam matrimonij titulo non dignatur, sed contubernium appellat. *l. 3. C. de incert. nupt.* Primum igitur ut matrimonium sive connubium conjunctio legitima sit, hoc est Iuris Civilis regulis congruat, necesse est, ut filijf. autoritate & consensu patrumf. nuptias ineant. Deinde requiritur, ut contrahentes sint homines liberi & cives Romani. Nam cum servis latinis aut peregrinis civis Romanus Connubium non habet. Tertio oportet, ut mares nuptias inituri quatuordecim, fœminæ duodecim annos habeant, deniq; requiritur, ne intra gradus cognationis vel affinitatis prohibitos conjunctio fiat. Cognatio nomen generis est, & dividitur in agnationem & cognationem specialem. Agnatio est cognatio, quæ per virilis sexus personas descendentes contingit, quales sunt, patruus, amita, frater, soror, & cæteri agnati.

Cogna-

Cognatio est quæ per fæminini sexus personas descendentes contingit, cujusmodi sunt, avunculus, matertera, sororis filius, filia, cæteriq; cognati. Cognationis in genere sumptæ triplex ordo est: 1. Descendentium: 2. ascendentium, 3. ex transverso vel ex latere conjunctorum. Descendentes sunt, filius, filia, nepos, neptis, pronepos, proneptis, & reliqui in infinitum descendentes. Ascendentes sunt, pater, mater, avus, avia, & cæteri in infinitum ascendentes. Inter hos in infinitum nuptiæ prohibitæ sunt. Ex transverso conjuncti sunt, frater & soror, & horum liberi. Quamvis vero jure Civili fratrum & sororum liberi rectè conjungantur, §. *Duorum Inst. h. t. l. 19.* C. *eod. l. 3. ff. eod.* tamen Jure Canonico inter transversales, nuptiæ sunt prohibitæ usq; ad quartum gradum inclusivè. Gradus est de proximo cognato in proximum transitus. Quælibet vero generatio

facit

facit gradum unum. Hinc filius ex patre editus primam facit generationem. Ergo & primum gradum. Nepos secundam constituit generationem. Ergo & secundum gradum. Idem Iuris est in linea transversali. Hinc ego & frater meus, cum duabus generationibus editi simus ex parente nostro, duos etiam gradus facimus, & alter ab altero distat secundo gradu. Fratris vero filius, quia tertia generatione editus est, tertium gradum constituit. Nihil enim interest, hoc jure Civili, utrum linea æqualis sit, an inæqualis, quamvis Jus Canonicum differentiam adhibeat, quæ ex hisce duabus regulis intelligitur. 1. In linea transversali æquali, personæ, de quarum cognatione quæritur, eo gradu inter se distant, quo à communi stipite distant. Exempli gratia, duo patrueles communem stipitem habent,

bent, avum. Unusquisq; verò pa-
truelium ab avo distat secund
gradu. Eodem ergò gradu inte
se distant. Posterior regula est. I
linea transversali inæquali quot
gradu remotior à communi stipi
te distat, eo gradu inter se distant
de quorum cognatione quæritur
Exempli gratia, si quæsiveris, quo-
to gradu distent fratris filius & so-
roris neptis, primò consideran-
dum est, neptem sororis remotio-
rem esse, Illa vero neptis tertio
gradu à Communi stipite distat.
Ergo fratris filius & sororis neptis
eodem tertio gradu distant, & ita
de similibus. Affinitas est Jus ne-
cessitudinis inter conjugem, &
alterius conjugis cognatos con-
tractum. Hinc conjugis meæ cog-
nati omnes mihi affines sunt.
Non vero conjugis meæ cognati
meis cognatis affines fiunt. Nulli
enim sunt gradus affinitatis, quam
vi

vis Jure Canonico diversum statutum sit, quod usus probat. A nuptijs ratione affinitatis abstinendum est, non solum ex Juris prohibitione, verum etiam ob honestatem publicam, qua ratione fit, ut filius patris sponsam non ducat. Atq; hæc breviter de nuptijs patriæ potestatis causa una&prima. Sunt & aliæ causæ potestatis patriæ, puta, legitimatio, quæ fit triplici modo, nimirum, quando filius ex muliere libera, ad quam pater consuetudinem habuerat, sine connubio editus in locum filij legitimi adsciscitur per subsequens matrimonium legitime contractum, & dotalibus instrumentis compositis, vel cum filius naturalis curiæ offertur, & per illam oblationem autoritate Magistratus solemniter legitimatur, & potestati patris subijcitur, vel deniq; quando Princeps diplomate aut rescripto filium

lium naturalem legitimat, & patris potestati subdit.

De Adoptionibus.
Tit. XI.

Qui natura liberos habere non potuerunt, hi voluntate filios adoptant, *August. tract. in Ioan.* Est autem adoptio, nihil aliud, quam actus legitimus, quo quis patrem familias, vel filium familias patre auctore sibi in locum filij vel nepotis naturalis & legitimi asserit. Adoptio duplex est, adoptio specialis & arrogatio. Illa est actus legitimus, quo is, qui filius vel filius familias mihi non est, in locum filij, vel filijfamilias redigitur. Hæc est actus legitimus, quo quis patrem familias in locum filijfamilias adoptat. Utramq; adoptionem lex iutroduxit, cui accedit consensus non tantum eorum, qui adoptant, sed etiam qui adoptantur. Differt adoptio specialis ab arroga-

arrogatione, quod hæc eorum ſit, qui ſui juris ſunt, illa eorum, qui in poteſtate ſunt. Hæc Principis auctoritate, illa magiſtratus imperio fiat. Hæc non tantum arrogatum, ſed & hujus bona, imò omnes ejus liberos poteſtati arrogantis ſubijciat. Illa non niſi adoptatum in familiam adoptantis transferat. Quod poſterius hodie ita demum verum eſt, ſi adoptio ab aliquo aſcendentium fiat. Nam extraneæ perſonæ in adoptionem datus in familiam & poteſtatem ejus non tranſit.

Quibus Modus Jus Patriæ Poteſtatis Solvitur.

Tit. XII.

Diſſolvitur patria poteſtas morte, eaq; vel naturali, quæ eſt ſeparatio animæ à Corpore, vel Civili, puta, deportatione, quæ Civitatem Romanam adimit: item patriciatus dignitate, quando aliquis in

Imperatoris vel imperij patrem eligitur: ſed & captivitate, quæ tamen ipſa non tàm diſſolvit, quam in ſuſpenſo detinet patriam poteſtatem. Si enim pater captus apud hoſtes decedat, non ſervus deceſſiſſe, ſed fictione legis Corneliæ ſtatim atq; ab hoſtibus captus eſt, diem ſuum velut Civis Romanus obijſſe, & per conſequens filios uſq; ad tempus mortis, id eſt captivitatis in poteſtate retinuiſſe creditur. Sin vero ab hoſtibus revertatur, jure poſtliminij nunquam captus, ſed ſemper in Civitate fuiſſe cenſetur. Eſt enim poſtliminium priſtini ſtatus recuperatio integra, perinde ac ſi quis medio tempore in captivitate non fuiſſet. Deniq; emancipatio eſt patriæ poteſtatis reſolutio. Illa primis temporibus fiebat jure legitimo per trinam emancipationem & imaginariam venditionem, ac trinam manumiſſionem

ſionem & in manumittendo liberi poteſtate parentum liberandi circumducebantur, circumagebantur, circumvertebantur in orbem, ut acta iſta vertigine liberi abirent, quo vellent & ſimul rapiſmate pulſabantur, hoc eſt expalmabantur, *l. fin. C. de emancipat. liber. Novel. 81.* Procedente tempore emancipatio detractis illis ſolemnitatibus fieri cepit ex reſcripto Principis ad preces patris edito & inſinuato Judici competenti *l. pen. C. de emancipat. liberorum.* deniq; acceſſit conſtitutio Juſtiniani, quæ emancipationem ſine principali reſcripto apud judicem competentem fieri permittit. *d. l. fin.* Ad extremum ſcire oportet, quod neq; naturales & legitimi liberi, neq; adoptivi ullo penè modo poſſunt cogere parentes, de poteſtate ſua eos dimittere. *§. fin. h. t.*

Iustas nuptias inter se Cives Romani contrahunt, qui secundum præcepta legum coëunt: masculi quidem puberes, fæminæ autem viri potentes, sive patresfamiliarum sint, sive filij familiarum: dum tamen, si filijfamiliarum sint, consensum habeant parentum, quorum in potestate sunt. §. *1. h. t.* Nam hoc fieri debere, & Civilis & naturalis ratio suadet in tantum, ut jussus parentis præcedere debeat. Naturalis ratio est ipsum Ius divinum filijs præcipiens, ut parentibus pareant, & honorem debitum præstent. Civilis ratio est ratio potestatis, & inter cætera in eo consistit ne per filiorumf. matrimonia patribus invitis suus agnascatur heres §. *sed si quis* 1. *de adoptionibus.* Prior ratio tam matrem, quam patrem complectitur. Posterior ratio solos patresf. concernit. Ac quamvis inter servos quoque, & ancillas Iure naturæ conjugium recte contrahatur, tamen illam conjunctio-

ctionem Ius Civile nuptiarum, sive connubij, vel etiam matrimonij titulo non dignatur, sed contubernium appellat. *l. 3. C. de incert. nupt.* Primum igitur ut matrimonium sive connubium conjunctio legitima sit, hoc est Iuris Civilis regulis congruat, necesse est, ut filijf. autoritate & consensu patrumf. nuptias ineant. Deinde requiritur, ut contrahentes sint homines liberi & cives Romani. Nam cum servis latinis aut peregrinis civis Romanus Connubium non habet. Tertio oportet, ut mares nuptias inituri quatuordecim, fœminæ duodecim annos habeant, deniq; requiritur, ne intra gradus cognationis vel affinitatis prohibitos conjunctio fiat. Cognatio nomen generis est, & dividitur in agnationem & cognationem specialem. Agnatio est cognatio, quæ per virilis sexus personas descendentes contingit, quales sunt, patruus, amita, frater, soror, & cæteri agnati.

Cogna-

Cognatio est quæ per fæminini sexus personas descendentes contingit, cujusmodi sunt, avunculus, matertera, sororis filius, filia, cæteriq; cognati. Cognationis in genere sumptæ triplex ordo est: 1. Descendentium: 2. ascendentium, 3. ex transverso vel ex latere conjunctorum. Descendentes sunt, filius, filia, nepos, neptis, pronepos, proneptis, & reliqui in infinitum descendentes. Ascendentes sunt, pater, mater, avus, avia, & cæteri in infinitum ascendentes. Inter hos in infinitum nuptiæ prohibitæ sunt. Ex transverso conjuncti sunt, frater & soror, & horum liberi. Quamvis vero jure Civili fratrum & sororum liberi rectè conjungantur, §. *Duorum Inst. h. t. l. 19. C. eod. l. 3. ff. eod.* tamen Jure Canonico inter transversales, nuptiæ sunt prohibitæ usq; ad quartum gradum inclusivè. Gradus est de proximo cognato in proximum transitus. Quælibet vero generatio facit

facit gradum unum. Hinc filius ex patre editus primam facit generationem. Ergo & primum gradum. Nepos secundam constituit generationem. Ergo & secundum gradum. Idem Iuris est in linea transversali. Hinc ego & frater meus, cum duabus generationibus editi simus ex parente nostro, duos etiam gradus facimus, & alter ab altero distat secundo gradu. Fratris vero filius, quia tertia generatione editus est, tertium gradum constituit. Nihil enim interest, hoc jure Civili, utrum linea æqualis sit, an inæqualis, quamvis Jus Canonicum differentiam adhibeat, quæ ex hisce duabus regulis intelligitur. 1. In linea transversali æquali, personæ, de quarum cognatione quæritur, eo gradu inter se distant, quo à communi stipite distant. Exempli gratia, duo patrueles communem stipitem habent,

bent, avum. Unusquisq; verò patruelium ab avo distat secundo gradu. Eodem ergò gradu inter se distant. Posterior regula est. In linea transversali inæquali quoto gradu remotior à communi stipite distat, eo gradu inter se distant, de quorum cognatione quæritur. Exempli gratia, si quæsiveris, quoto gradu distent fratris filius & sororis neptis, primò considerandum est, neptem sororis remotiorem esse, Illa vero neptis tertio gradu à Communi stipite distat. Ergo fratris filius & sororis neptis eodem tertio gradu distant, & ita de similibus. Affinitas est Jus necessitudinis inter conjugem, & alterius conjugis cognatos contractum. Hinc conjugis meæ cognati omnes mihi affines sunt. Non vero conjugis meæ cognati meis cognatis affines fiunt. Nulli enim sunt gradus affinitatis, quamvis

vis Jure Canonico diversum statutum sit, quod usus probat. A nuptijs ratione affinitatis abstinendum est, non solum ex Juris prohibitione, verum etiam ob honestatem publicam, qua ratione fit, ut filius patris sponsam non ducat. Atq; hæc breviter de nuptijs patriæ potestatis causa una & prima. Sunt & aliæ causæ potestatis patriæ, puta, legitimatio, quæ fit triplici modo, nimirum, quando filius ex muliere libera, ad quam pater consuetudinem habuerat, sine connubio editus in locum filij legitimi adsciscitur per subsequens matrimonium legitime contractum, & dotalibus instrumentis compositis, vel cum filius naturalis curiæ offertur, & per illam oblationem autoritate Magistratus solemniter legitimatur, & potestati patris subijcitur, vel deniq; quando Princeps diplomate aut rescripto filium

lium naturalem legitimat, & patris potestati subdit.

De Adoptionibus.
Tit. XI.

Qui natura liberos habere non potuerunt, hi voluntate filios adoptant, *August. tract. in Ioan.* Est autem adoptio, nihil aliud, quam actus legitimus, quo quis patrem familias, vel filium familias patre auctore sibi in locum filij vel nepotis naturalis & legitimi asserit. Adoptio duplex est, adoptio specialis & arrogatio. Illa est actus legitimus, quo is, qui filius vel filius familias mihi non est, in locum filij, vel filijfamilias redigitur. Hæc est actus legitimus, quo quis patrem familias in locum filijfamilias adoptat. Utramq; adoptionem lex iutroduxit, cui accedit consensus non tantum eorum, qui adoptant, sed etiam qui adoptantur. Differt adoptio specialis ab

arroga-

arrogatione, quod hæc eorum sit, qui sui juris sunt, illa eorum, qui in potestate sunt. Hæc Principis auctoritate, illa magistratus imperio fiat. Hæc non tantum arrogatum, sed & hujus bona, imò omnes ejus liberos potestati arrogantis subijciat. Illa non nisi adoptatum in familiam adoptantis transferat. Quod posterius hodie ita demum verum est, si adoptio ab aliquo ascendentium fiat. Nam extraneæ personæ in adoptionem datus in familiam & potestatem ejus non transit.

Quibus Modus Jus Patriæ Potestatis Solvitur.

Tit. XII.

Dissolvitur patria potestas morte, eaq; vel naturali, quæ est separatio animæ à Corpore, vel Civili, puta, deportatione, quæ Civitatem Romanam adimit: item patritiatus dignitate, quando aliquis in

Imperatoris vel imperij patrem eligitur: ſed & captivitate, quæ tamen ipſa non tàm diſſolvit, quam in ſuſpenſo detinet patriam poteſtatem. Si enim pater captus apud hoſtes decedat, non ſervus deceſſiſſe, ſed fictione legis Corneliæ ſtatim atq; ab hoſtibus captus eſt, diem ſuum velut Civis Romanus obijſſe, & per conſequens filios uſq; ad tempus mortis, id eſt captivitatis in poteſtate retinuiſſe creditur. Sin vero ab hoſtibus revertatur, jure poſtliminij nunquam captus, ſed ſemper in Civitate fuiſſe cenſetur. Eſt enim poſtliminium priſtini ſtatus recuperatio integra, perinde ac ſi quis medio tempore in captivitate non fuiſſet. Deniq; emancipatio eſt patriæ poteſtatis reſolutio. Illa primis temporibus fiebat jure legitimo per trinam emancipationem & imaginariam venditionem, ac trinam manumiſſionem

ſionem & in manumittendo liberi poteſtate parentum liberandi circumducebantur, circumagebantur, circumvertebantur in orbem, ut acta iſta vertigine liberi abirent, quo vellent & ſimul rapiſmate pulſabantur, hoc eſt expalmabantur, *l. fin. C. de emancipat. liber. Novel. 81.* Procedente tempore emancipatio detractis illis ſolemnitatibus fieri cepit ex reſcripto Principis ad preces patris edito & inſinuato Judici competenti *l. pen. C. de emancipat. liberorum.* deniq; acceſſit conſtitutio Juſtiniani, quæ emancipationem ſine principali reſcripto apud judicem competentem fieri permittit. *d. l. fin.* Ad extremum ſcire oportet, quod neq; naturales & legitimi liberi, neq; adoptivi ullo penè modo poſſunt cogere parentes, de poteſtate ſua eos dimittere. *§. fin. h. t.*

De Tutelis

Tit. XIII

Dictum est de personis, quæ in alienis sacris, sive in aliena potestate sunt. Tractandum nunc de personis, quæ sui sunt juris. Hæ verò vel sub tutela, vel sub cura constituuntur, vel neutro jure tenentur §. *1. h. t.*

Tutela est vis & potestas in capite libero ad tuendum eum, qui per ætatem se sua sponte defendere nequit jure civili data & permissa. *d.*§.*1.* Caput liberum intellige pupillum sui juris sive hominem liberum & civem Romanum *l. pronunciatio* D. *de verb. signif. l pen.* §.1. *D quod fal. tutor. auct.*

Tutela vel est testamentaria, vel legitima, vel dativa. Quæ trimembris divisio ad bimembrem revocari potest, si dicamus, tutelam aliam esse legitimam, sive à lege

lege delatam. aliam dativam, eamq; vel testamentariam vel à Magistratu datam *l. 5. D. de leg tutel.* Nam & testamentaria tutela dicitur dativa *Ulpian. in reliq. regul. tit. de tutel.* & qui à magistratu datur tutor, appellari solet dativus, *l. 7. D. rem pup. sal. for. l. fin. C. de legit. tut.* Prævalet vero tutela testamentaria. Permissum namq; est parentibus liberis impuberibus; quos in potestate habent, testamento tutores dare, *§. 2. h. t.* idq; ex lege XII. tabularum descendit, quæ sic habet: Uti quisq; legassit super re tutelavè sua ita jus esto *l. 120. de verb. sign.* Impuberes intelligimus filios filiasvè, sed & nepotes, neptesq;, si tamen post mortem avi in patris sui potestatem non sint recasuri *d. §. 2.* Hoc amplius impuberibus accensemus posthumos & posthumas: qui quævè in ea causa sunt, ut, si vivis parentibus nascerentur, sui

& in potestate eorum fierent. §. 3. *h. t.* deniq; filio emancipato à patre datus tutor confirmandus est ex sententia præsidis omnimodo, id est, sine inquisitione, an scilicet idoneus sit, nec ne, *d.* §. 3. *l. Nesennius D. de excusat. tutor. l. si filio D. de Confir. tut.* Cum patris consilium pro filio salubre semper reputandum, & à patre datus tutor satis idoneus esse censeatur *l. ult. C. de Curator. furios. l. cum quidem. C. d. legat.*

Qui Testamento Tutores Dari Possunt.

Titulus XIV.

Testamento tutor datur non solum paterfamilias, sed etiam filiusf. sed & servus proprius testamento cum libertate recte tutor datur, imò & sine libertate tutor datus, tacite libertatem directam accepisse videtur, & per hoc recte tutor est. Servus autem alienus,

purè

purè inutiliter teſtamento datur tutor, ſed ita, cum liber erit, utiliter datur. §. *1. h. t.* Furioſus vel minor 25. annis tutor Teſtamento datus tutor erit, cum compos mentis, aut major annis *25.* factus fuerit, & interim à Magiſtratu competente tutor idoneus ſubſtituitur, *l. ſi hæreditas D. de teſtam. tutel* §. *2. I. de attilian. tutor.* Ad certum tempus, vel ex certo tempore, vel ſub conditione, vel ante hæredis inſtitutionem poſſe dari tutorem non dubitatur. §. *3. h. t.* Certæ autem rei vel cauſæ tutor dari non poteſt, quia perſonæ, non cauſæ vel rei tutor datur. *d.* §. *3.*

De Legitima Agnatorum Tutela.

Titulus XV.

Quibus teſtamento tutor datus non eſt his ex lege *12.* tabularum agnati, gradu proximiores

sunt tutores, qui vocatur legitimi, sunt autem agnati per virilis sexus cognationem nobis conjuncti, velut à patre cognati, puta frater eodem patre natus. fratris filius neposvè ex eo, item patruus & patrui filius, neposvè ex eo. At qui per fœminini sexus personas cognatione junguntur, non sunt agnati, sed alias naturali jure cognati. Itaq; amitæ tuæ filius non est tibi agnatus sed cognatus. Agnatio est nomen juris civilis, cognatio nomen Juris naturalis. §. 4. *h. t.* Illud capitis deminutione plerumq; perimitur, hoc non item. Quia civilis ratio civilia quidem jura corrumpere potest, naturalia verò non utiq;.

De Capitis Deminutione.

Tit. XVI.

Capitis deminutio, est prioris status Commutatio §. *1. h. t.* Et est vel maxima, vel minor sive me-

media, vel minima. Maxima est quæ libertatem & civitatem adimit. Quod accidit servis pænœ, vel libertis, ut ingratis erga patronos condemnatis, vel qui se ad pretium participandum venundari passi sunt *d.* §. *1*. Minor sive media capitis deminutio est, cum civitas amittitur, sed libertas retinetur *d.* §. *1*. Quod accidit deportatis, vel ad metallum damnatis. Minima capitis deminutio contingit, cum libertas & civitas retinetur, sed status hominis commutatur. Quod accidit in his, qui cum sui juris fuerint, cœperunt alieno juri subjecti esse, vel contra. Maxima ergò capitis deminutio è societate hominum. Minor sive media è societate civium, minima è societate familiæ eximit.

De Legitima Patronorum Tutela.

Titulus XVII.

Legitimæ tutelæ species patronorum tutela non ex ipsa lege XII. tabularum nominatim descendit, sed per interpretationem & per hæreditatum consequentias inde deducta est *l. 3. D. de legit. tut.* Cum enim Patroni libertorum, si ab intestato decedant, hæreditatem ex lege capiant, crediderunt veteres voluisse legem etiam tutelā ad eos pertinere: quia ubi successionis emolumentum, ibi & tutelæ onus esse debet. *l. quô tutela D. de reg. Iur.*

De Legitima Parentum Tutela, Titulus XVIII.

Parentibus liberorum emancipatorum tutelam neq; ex lege, quæ solos agnatos tutores agnoscit, neq; per consequentias hereditatum, cum parentes liberis emancipatis non succedant, deferri certum est. Sed moribus primum invaluit, ut exemplo patronorum parentibus tutela deferretur.

tur. Quæ hac consideratione appellatur tutela legitima.

De Fiduciaria Tutela.
Tit. XIX.

Fiduciaria tutela dicitur, quando filio impuberi emancipato frater perfectæ ætatis sive suus sive emancipatus in locum patris prædefuncti tutor datur.

De Attiliano Tutore, & eo qui ex Lege Julia & Titia dabatur.
Titulus XX.

Tutelarum ultima est dativa ex lege Attilia, Julia & Titia, verum cum illæ leges utilitati pupillorum non viderentur satis prospicere, cæperunt tutores dari ex inquisitione, & cum satisdatione, rem pupilli salvam fore §. *3. h. t.* & ut magis consultum sit pupillis, non tantum consules, præfecti, prætores, & præsides, sed & civitatum defensores, si modo patrimonium pupillorum quingentos solidos si-

ve aureos non excedat, Tutores illis rite dare possunt. Et est naturali juri conveniens ut is, qui perfectæ ætatis non est, alterius tutelà regatur. §. 5. *h. t.*

De Auctoritate Tutorum.

Tit. XXI.

Auctoritas tutoris est expressa approbatio negotij vel rei in præsentia tutoris cum pupillo gestæ: Nam post negotium gestum vel per epistolam interposita tutoris auctoritas nihil agit. Hæc auctoritas in quibusdam causis necessaria pupillis est, puta, si alijs promittant pupilli, vel hereditatem adeant, aut bonorum posſionem petant, aut hereditatem ex fideicommisso suscipiant: Cum enim hereditas vel lucrosa, vel detrimentosa esse possit, tutius est & utilius tutoris auctoritatem in dubio illo adhiberi. In quibusdam verò causis auctoritas tutoris necessaria non

est,

est, puta, si quid sibi dari stipulentur: namq; placuit meliorem suam conditionem licere pupillis facere sine tutoris autoritate, deteriorem vero non aliter quam tutore aucto. re, *d* §. *1.* Deniq; in quibusdam caussis auctoritas tutoris utpote suspecta prorsus reijcitur, si nimirum ipsi cum pupillo lis sit. Nam eo casu datur curator ad litem, qui lite finita curator esse desinit. §. *fin. h.t.*

Quibus Modis Tutela Finitur.
Titulus XXII.

Finitur tutela quævis pubertate, quæ in maribus post 14. in fœminis post *12.* annum completum contingit. Morte tam naturali quam civili, puta maxima & media capitis diminutione, vel tutoris vel pupilli. Sed & minima pupilli pupillævè capitis diminutio omnes tutelas tollit. Tutoris autem minima capitis diminutione tutela tantum legitima perit, cœteræ non

non pereunt, §. 2. *h.* Decursu diei vel temporis, ad quod tutor datus fuit exspirat tutela testamentaria, *l. 6. §. 1. D. de tutel. l. act. D. de reg. jur.* non legitima. *l. si arrogant. D. de tute. l. tutor. datus §. 1. de testam. tutel.* Hoc amplius ad certam conditionem tutor testamento datus, puta Titius sit liberorum meorum tutor, usq; quo non duxerit uxorem, conditione existente tutor esse desinit *l. actus legitimi D. de reg. jur.* Sed & sub conditione tutor datus deficiente conditione tutor non erit. Quæ juris dispositio in tutela dativa cessat, cum actus sit legitimus tempus vel conditionem non recipiens, *d. l. tutor. in pr.* Deniq; desinunt tutores esse qui vel removentur à tutela, ob id quod suspecti visi sunt, vel qui ex causa justa sese excusant, & onus tutelæ deponunt. §. *2. in fin. h. t.*

De Curatoribus.
Tit. XXIII.

Etsi

Etsi pubertate tutela finitur tamen cum puberes ejus ætatis sint, ut sua negotia tueri non possint, curatores illis dari solent ab ijsdem Magistratib. à quibus tutores dantur. *§. 1. h. t.* Sed testamento curator non datur, datus tamen confirmatur decreto Prætoris vel præsidis. Curatorem adolescentes inviti non accipiunt. *d. §. 1. in fin.* Furiosi & prodigi, licet majores 25. annis sint, in curatione sunt agnatorũ ex lege 12. tabularum. *§. 2. h. t.* Sed solent Magistratus illis ex inquisitione curatores dare, uti & mente captis & surdis & mutis & perpetuo morbo laborantibus, Interdum porro accidit, ut habenti tutorem minus idoneum, curator adjungatur, cum tutorem habenti tutor alius dari nequeat. *§. 3. h. t.*

De Satisdatione Tutorum vel Curatorum.

Titulus XXIIII.

Qui

Qui testamento tutores dantur non satisdant, cum fides & diligentia eorum à testatore sit approbata, §. 1. Sed nec ex inquisitione tutores curatoresvè dati satisdare cogũtur, quia idonei electi sunt. Cæteri satisdare tenentur. Quin etiam ex Imperij sacri ordinatione Augustæ *vindelic. de anno* 1548. §. Von den Pupillen vnd Minderjährigen Kindern tutorn, & Francofurt. *anno 1577, titul* 32. hodie omnes tutores & curatores inventarium conficere jurejurando se devincire & fidem atq; diligentiam promittere & satisdationem idoneam præstare debent. Et si hæc intermittantur, non solum tutores & curatores de omni damno tenentur sed & Magistratus, qui vel satisdationem non acceperunt, vel minus idoneè satisdari passi sunt, in subsidium jure conveniuntur §. 3. *h. t.*

De

De excusationibus Tutorum vel Curatorum.

Titulus XXV.

Tutela & cura munus est publicum §.1.*h.t.* quod tutores præcise subire coguntur, nisi excusatione legitima se ab illo onere liberent. Excusatio est justa immunitatis à tutela vel cura allegatio ex privilegio vel qua alia causa gravi, ac probabili competens. Justæ autem causæ sunt; 1. Liberorum numerus, Romæ trium, in Italia quatuor, in Provincijs quinq; *d.*§ *1.h.t.* Inter liberos reputantur, qui in acie militari occubuerunt: hi enim cum pro rep. ceciderint, in perpetuum per gloriam vivere intelliguntur. 2. Fisci, administratio. §. 2. *h. t.* 3. Reipublicæ causa absentia §. 3. *h. t.* 4. Magistratus officium & munus §. 4. *h.t.* 5. Lis quam cum pupillo vel adulto tutor vel curator habet. §. 5. *h. t.* 6. Tria tutelæ non adfectatæ one-

onera ante suscepta §. *6.h.t.* 7. Paupertas oneri injuncto ferendo impar. §.*7.h.t.* 8. Adversa valetudo eaq; vehemens & sontica. §. *8. h. t.* 9. Literarum ignorantia. §. *9. h. t.* 10. Inimicitia atrox & capitalis inter patrem pupilli & tutorem. §. *10. h.t.* 11. Quæstio status à patre pupilli tutori mota §.*11 h.t.* 12. Ætas septuaginta annorum §.*13.h.t.* 13. Militiæ munus. §.*14 h.t.* 14. Professio Grammatices, Rhetorices & Medicinæ. §. *15. h. t.* Cæterum qui excusare se volunt à tutela vel cura, statim non appellant, sed intra quinquaginta dies cõtinuos ex quo cognoverint, se esse tutores vel curatores datos, se excusant & excusationis causas porponunt, & si illæ justæ sint, nec tamen recipiantur appellationis benaificio utuntur §. *16. h.t.* Ad excusationis tutorum tractatum pertinet, quod is, qui tutelam alicujus gessit, invitus curator ejus.

dem

dem fieri non compellatur, etiamsi pater testamento suo id ita ordinarit. § 18. *h. t.* verum moribus nostris tutores finita tutela curam adultorum suscipiunt, eamq; continuant quoad pupilli & adulti fiāt sui juris.

De Suspectis Tutoribus vel Curatoribus.

Titulus XXVI.

Non solum, qui sponte munus tutelæ & curæ defugiunt, excusatione justa allata audiuntur, & onere illo levantur, sed & quandoq; inviti à tutela & cura arcentur, & abiguntur, puta si suspecti sint §. 1. *h. t.* & non ex fide diligenter, §. 3. *h. t.* sed contra fidem fraudulenter tutelam gerant §. 6. *h. t.* Hi enim etsi satis offerant, tamen à tutela removentur, quia satisdatio tutoris propositum ejus malevolum non mutat, *d.* §. 6. sed diutius grassandi in re familiari pupillari facultatem præstat. Suspectus tutor est, qui copiam sui

non

non facit, ut alimenta pupillo decernantur. §.5. *h. t.* Qui per mendacium negat esse, unde alimenta pupillo dentur. Qui data pecunia ministerium tutelæ acquirit. §. *fin. h. t.* Qui inventarium rerum pupillarium non conficit *l. fin. C. arbitr. tutel.* Qui rationes quotannis non reddit. Cæterum sola tutoris paupertas suspicionem sinistram non generat, cum pauper æquè ac dives fidelis & diligens esse possit *d.* §.6.

De crimine tutoris suspecti quasi publica datur actio omnibus patens, in tantum, ut & mulieres quæ quidē pietatis necessitudine ductæ ad hoc procedunt, utputa, mater, nutrix, avia, soror & similes, sed & mulier extranea sive peregrina, cujus propensa pietas appareat ad accusandum jure admittantur. § 2. *h. t.* Suspectus autem remotus si quidem ob dolum famosus est, si ob culpam non æquè. § 4. *h. t.*

SOLI DEO SIT GLORIA.

FINIS I. LIBRI.

LIBER SECUNDUS.

DE DIVISIONE RERUM ET ACQUIRENDO EARUM DOMINIO.

Titulus I.

TRactemus de altero juris subjecto, nimirum de rebus. Rerum appellatio generalis est, omnia jura & corpora, *l. rei appellatio D. de verbor signif.* etiam illa, quæ extra computationem patrimonij sunt, complectens. Hinc Gajus Jurisconsultus res alias divini, alias humani Iuris esse respondit

l. 1. D. h. t. Et Justinianus Imperator res vel extra patrimonium nostrum §. *1. h. t.* vel in nostro patrimonio esse docet. Sed & hanc bimembrem divisionem explicat ac dilatat, & res quasdam nullius, *d.* §. *1.* quasdam jure naturali communes omnium, quasdam publicas, quasdam Universitatis, quasdam deniq; singulorum esse scribit. Res juris divini, sive res nullius in bonis & extra patrimonium sunt, res sacræ, quæ ritè & per Pontifices Deo consecratæ sunt, *d. l.* 1. *d.* §. 1. velut ædes sacræ & donaria, quæ rite ad ministerium Dei dedicata sunt, & non nisi §. *6. h. t.* in captivorum redemptionem, vel quam similem caussam piam alienari possunt. Res item religiosæ puta, fundus, in quem mortuus est illatus, & sepulchrum vel quid simile §. *7. h. t.* sanctæ deniq; res veluti muri & portæ quodammodo divini juris §. *8. h. t.* & ideò nullius in bonis sunt. Dicun-

euntur autem muri sancti, quia pæna capitis sancita in eos, qui aliquid in muros delinqunt. Res porrò juris humani, sive in patrimonio nostro sunt res vel communes, vel publicæ vel Universitatis vel singulorum. Res communes proprietate omnium esse possunt, sive, ut JCtus loquitur, *l. venditor D. comm. prædior.* natura omnibus patent, sed & usu res illæ sunt communes, sive, quod perinde valet, sunt jurisgentium usu publicæ, ut aër, *§. 2. h. t.* aqua profluens, mare, litora maris. Aqua profluens est, aqua fluminea, quam haurimus & sancimus in nostrum usum, & velut proprietate nostram facimus, adeoq; res communis proprie verè & rectè dicitur. Publicæ res usu omnibus patent, sed proprietate vel populi Romani sunt, vel quandoq; privatorum, ut flumina §. 3. *h. t.* & portus, & ripæ, ideoq; in illis navigare, ad illos appellere, & ad has navem alligare, funes arboribus ibi natis reli-

gare, onus aliquod ibi reponere cuilibet liberum est. Universitatis res proprietate & usu universorum civium, non vero omnium hominum sunt §. 4. *h. t.* veluti theatra, stadia, forum & similia. Singulorum deniq; res illæ sunt, quarum dominium vel jure gentium, vel jure civili § 9. *h. t.* adquisitum est. Dominium nihil aliud est, quam rei proprietas, quod nostro Idiomate dicimus Eigenthumb. Hoc Jure gentium acquiritur varijs modis § 10. *h. t.* puta, occupatione & naturali *l.* 1. §. 1. *D. de adquir. possess.* possessione, itemq; inventione §. 16. *h. t.* earum rerum, quæ in nullius bonis sunt, sed esse possunt. Quod enim ante nullius est, *d.* §. 10. id naturali ratione occupanti conceditur. Hoc amplius captivitate tam homines quam § 15. *h. t.* cætera animalia & res quævis dominio nostro subijciuntur, sed & hominibus & animalibus nata §. 17. *h. t.* eodem
Iure

Jure adquiruntur. Item alluvione vel continua vel discreta. Illa est. §. 18. *h. t.* incrementum latens, quando vi fluminis nostro fundo ex alterius fundo, arena vel terræ particula latenter & paulatim adijcitur. Ista est, quando vi fluminis integra pars fundi alieni fundo nostro adijcitur. Hæc pars ita per alluvionem avulsa & nostro prædio adjecta tum demum nostra fit, si longiore tempore fundo nostro adhæserit, & arbores, quas forsitan secum traxit, in nostro fundo radices egerint. Cæterum Insula, §. 19. *h. t.* si quæ in mari nascatur, occupantis fit, si quæ in flumine nascatur, vel communis illorum est, qui propè ripam prædia pari jure possident, vel illius tantum, qui proximus prædium habet. Quod si flumen alveum suum derelinquat & alia parte, fluat, §. 20. *h. t.* derelictus alveus eorum est, qui propè ripam fundum possident, sed novus alveus

fit jure gentium publicus. Longè alia ratio est inundationis; *d. §. 20. in fin.* quæ paulo post recedit, & fundi speciem non commutat, vel quod perinde est, fundum, quem inundat, in alveum suum non convertit. Specificatione insuper dominium adquiritur, quando ex aliena materia speciem aliquam sic formamus, ut ista ad priorem & rudem materiam reduci nequeat: nam materia efformata, si ad integritatem reduci possit, ejus permanet, cujus ante fuit. §. *21. h. t.* Quod si vero aliquis ex sua & aliena materia speciem aliquam frabricet, res sine distinctione fabricatoris est, quia non solum operam impendit, sed materiæ partem præstitit. Idem est, si quis alienam purpuram vestimento suo intertexat: nam purpura licet pretiosior sit, vestimento cedit. §. *22. h. t.* Confusione præterea dominium adquiritur. §. *23. h. t.* Quæ largè loquendo

do fit, vel permixtione, vel ferruminatione, vel applumbatura. Permixtio ita demum communionem introducit & dominium communicat, si vel voluntate utriusq; domini vel casu commixtio fit, vel etiam unius voluntate in illum eventum, quo materiarum separatio commode fieri nequit, uti in vino, auro, argento, oleo vel simili re. Ferruminatio communionem non facit, sed ei rem addicit; cujus pars major est: nam si quis suæ statuæ, ut inquit Jurisconsultus, ferruminatione brachium alienum jungat; unitate majoris partis brachium consumitur, in tantum, ut abruptum etiam brachium ad priorem dominum non revertatur, *l. in rem, §. item quæcunq; D. de rei vindic.* Plumbatura deniq; est quædam quasi confusio, sed cum facili negotio, quod applumbatum est, replumbetur, domino actio ad exhibendum contra possessorem

competit, ut quod plumbo affixum est, revellat & restituat. *d. § item quæcunq;* Ædificatione quoq; plantatione & satione dominia rerum adipiscimur: *§. 24. §. 25. §. 26. h. t.* Unde vulgares illi versus:

Quicquid plantatur, seritur sive ædificatur,
Omne solo cedit, radices si tamen egit.

Eadem est ratio literarum in chartis vel membranis scriptarum & exaratarum: nam illæ his cedunt. *§. 27. h. t.* Diversa autem conditio est picturæ, cui ob præstantiam tabula cedit. *§. 28. h. t.* Porro ex possessionis jure fructuum dominium adquiritur. *§. 29.* Fructus vel naturales sunt, qui ex ipsa re sine singulari aliqua hominum industria proveniunt, ut pira, poma, nuces & similia, *l. fructus D. de usur. l. bonæ fidei D. de adquir. rer. dom. d. §. 29. h. t.* vel industriales sunt, qui cultura & cura sive diligentia, operis, & industria possessoris proveniunt. *d. l. fructus d. l. bonæ fidei. d. §. 29.* Cul-

Cultura agrorum est, cura pecorum & animalium. *Baldus in l. ancillæ n.* 13. *C. de furtis, Iacob. Cujac. in d.* §. 29. *in in not. priorib.* Vel deniq; civiles fructus sunt, qui sola rei occasione proveniunt, ut pensiones, usuræ & si quæ sunt similia. *d. l. fructus. d. l. bonæ fidei l. certum C. de rei vindicat.* Sunt vero possessorum alij fidei bonæ, alij fidei malæ. Illi suos faciunt fructus naturales sive extantes sive consumptos, interim, hoc est, quoad res â vero Domino evicta non fuerit: nam re evictâ fructus naturales restituunt.

At fructus industriales perceptos & consumptos absolutê faciunt suos, nec ad restitutionem illorum tenentur. *d.* §. 29. *l.* 4. *d. definum regundor.* §. 1. *l.* 1. *de offic. judic. d. l. fructus d. l. bonæ fidei. d. l. certum.* Similis quædam condicio est usufructuariorum, qui fructus tam naturales quam industriales simpliciter faciunt suos, si,

dum in viris ſint, illos perceperint. §. 30. *h. t.* Inter fructus computantur fœtus, lac, pilus, lana, agni, hædi, vituli, equuli, & ſuculi; §. 31. *h. t.* Partus verò ancillæ in fructu non eſt, ſed ad dominum proprietatis pertinet: Abſurdum enim videbatur, hominem in fructu eſſe, cum omnes fructus rerum natura gratia hominis comparaverit. Ad hæc Theſaurus in loco proprio inventus inventoris dominio cedit. §. 32. *h. t. l.* 3. §. *ſi in locis D. de jur. fiſc. l. unic. C. de theſaur. lib.* 12. Idemq; eſt, ſi caſu fortuito, in loco ſacro vel religioſo inventus ſit. *d.* §. 32. Quod tamen ſic eſt immutatum, ut una pars inventori & altera Eccleſiæ adquiratur, idq; in theſauro, in locis publicis itemq; alienis ſimiliter receptum eſt, ut nimirum inter inventorem & fiſcum ſive loci dominum inventus theſaurus dividatur. Eſt verò theſaurus authore Caſsiodoro, depoſitiva pecunia, quæ longa

ga vetustate competentes dominos amisit. Est res recondita ab ignotis dominis tempore vetustiore, *d. l. unic.* Est vetus quædam pecuniæ depositio, cujus non extat memoria, ut jam dominum non habeat. *l. nunquam* §. 1. *h. t.* Porrò per traditionem jure naturali res nobis adquiruntur, cum nihil tam conveniens sit naturali æquitati, quam voluntatem domini volentis rem suam in alium transferre ratam haberi. §. 33. *h. t. l. traditionibus. C. de pactis.* Sed hoc restrictionem admittit in rebus venditis, quæ per traditionem non aliter transferuntur, quam si emptor precium illarum solverit, vel expromissore, fidejussore aut pignore dato satisfecerit, vel etiam venditor solam emptoris fidem secutus sit: §. 34. *h. t.* Quin etiam interdum, sine traditione voluntas domini nuda ad rem transferandam sufficit, veluti, si rem commodatam aut locatam aut de-

 posi-

positam dominus tibi vendat: nam eo ipso quod patitur, tuam esse, statim tibi adquiritur proprietas. §. 35. *h. t.* Et hanc traditionem juris auctores brevi manu vel brevis manus fictione fieri dicunt, *l. licet. D. de jur. dot.* quando nimirum celeritate conjungendarum actionum una actio occultatur; & negotium perinde habetur, ac si rem commodatam à te repetivissem & post ex venditione iterum tradidissem. *l. 3. §. pen. D. de don. inter vir. & uxor.* Fieri etiam quandoq; potest, ut dominum in personam incertam transferatur, §. 36. *h. t.* quando vel missilia in vulgus projiciuntur, vel domini res suas pro derelicto habent, easq; sui dominij esse nolint. *d. §. 36. l. 1. & tot. tit. D. pro derelict.* Nam hæ occupanti cedunt. Longe vero secus est, si res suas Domini tantum pro deperdito habent, puta, si navis levandæ caussa in maris tempestate merces ejiciant,

vel

vel de rheda currente res suas amittant: Hisce enim & similibus casibus, domini & proprietarij permanent, & qui illas lucrandi animo sciens prehendit & occupat, utiq; furtum admittit.

Titulus II.

De rebus corporalibus & incorporalibus.

Quædam prætereà res corporales sunt, quædam incorporales. Corporales sunt quæ tangi possunt vel actu, vel potentia, veluti fundus, homo cælum & aliæ res innumerabiles. §. *1. h. t.* Incorporales sunt, quæ tangi non possunt, sed intellectu comprehenduntur, qualia sunt ea, quæ in jure consistunt, sicut sunt hereditas, servitutes, obligationes, actiones. In his enim rebus non corpora, quæ in illas veniunt, sed jus ipsum consideratur, quod etiam sine corpore esse potest. Indè hæreditas

dicitur, etiamsi nulla corpora hæreditaria habeat. *l. hæreditas in pr. D. de petit. hæredit.*

Titulus III.

De Servitutibus rusticorum & urbanorum prædiorum.

Servitutes, quas inter res incorporales numeravimus, vel sunt prædiales, sive reales, vel personales. Servitus realis est jus prædio alieno impositum, nostro adquisitum. Et vel prædiorum rusticorum vel urbanorum est, sic dicta, quod sine prædijs nunquam constituatur. §. *fin. h. t.* Rusticorum prædiorum jura sunt, iter, actus, via, aquæductus. Iter est jus eundi, ambulandi hominis, hoc est, quo homo eques vel pedes commeat. Actus est jus agendi jumentum vel vehiculum. Via est jus eundi & agendi & ambulandi. Actui iter inest per consequentiam, ideoq; in descriptione actus nulla injicitur mentio itineris: viæ iter inest principa-

cipa-

cipaliter, idcirco itineris mentio fit in descriptione viæ, Aquæductus est, jus aquæ ducendæ per fundum alienum. Huc pertinent aquæ haustus, pecoris ad aquam appulsus, jus pascendi, calcis coquendæ, arenæ fodiendæ. Prædiorum urbanorum servitutes sunt, quæ ædificijs inhærent, puta, ut vicinus vicini onera sustineat, ut in vicini parietem liceat vicino tignum immittere, ut vicinus vicini stillicidium vel flumen recipiat, ne vicinus ædes altius tollat, ne luminibus vicini officiat. §. 2. *h. t.* Constituuntur verò servitutes, vel stipulationibus, vel pactionibus, quæ contractibus adjiciuntur, vel per ultimam voluntatem. §. 1. *h. t.*

Titulus IV.

De Usufructu.

Servitutis personalis species sunt: usus fructus, usus & habitatio.

Usus-

Ususfructus est, jus alienis rebus utendi, fruendi salva earum substantia. §. *1. h. t.* Unde efficitur in illis rebus, quarum abusus est, quæq; usu consumuntur, puta in vino, oleo, frumento & similibus, usumfructum recto jure non constitui. Sed tamen Senatusconsulto facto placuit utilitatis caussa, in illis quoq; rebus quasi usumfructum constitui, ita, ut fructuarius satisdet, se finito usufructu tantundem in genere restituturum. §. *2. h. t.* Constituitur ususfructus æque ut realis servitus stipulationibus pactionibus contractibus adjectis, & ultima voluntate. *d.* §. *1.* Finitur iterum usufructus morte fructuarij, magna & media capitis diminutione, non usu, præscriptione, rei interitu, confusione, sive consolidatione proprietatis & usufructus, quod fit, si fructuarius usumfructum proprietario cedat. §. *3. h. t.* Utitur & fruitur ergo fructuarius re

in

in usumfructum data. Utitur & fruitur dominus re sua, quam habet & possidet, Atque inde nata est divisio ususfructus in formalem & causalem, sive in nudum & plenum usumfructum. Ususfructus formalis sive nudus proprie est servitus, & pars dominij dici nequit, *l. recte dicimus D. de verb. signif. l. 2. D. de condic. instituit. l. 38. D. ad leg.* Falcidiam cum sit in re aliena constitutus *l.* 13. §. 1. *D. de usufr.* Plenus verò sive causalis ususfructus est, qui proprietati cohæret, vel, proprietatem comitatur, *l.* 126. §. 1. *D. de verborum oblig. l si cum argentum §. qui fundum. D. de except. rei judic.* & pars dominij verè ac rectè appellatur. *l. 4. D. de usufr. l. 49. D. de evictionib.*

Titulus V.

De Usu & Habitatione.

Usus est jus utendi rebus alienis salva earum substantia. Constitui-

tur

tur vero ijsdem modis, quibus ususfructus. §. *1. h.t.* Sed differt ab usufructu, quod usus individuus, ususfructus dividuus sit, quod item usus jus contractius, ususfructus jus plenius sit. *l. usus 19. D. h.t.* Id Augustinus *l. 1. c. 5. & 21. de doct. Christian. & lib. 10. c. 11. de Trinitate & de civitate Dei. lib. 11. c. 25.* ad vitam Christianorum transferens scribit, rebus temporalibus nos debere uti æternis frui. Habitatio est jus domum alienam inhabitandi. Differt habitatio ab usu ædium, quod illa magis facti sit, hic juris, quod item is, qui habitationem habet, locare illam posit, §. *fin. h. t.* illi vero, cui usus ædium concessus est, vix hospitem recipere liceat, quod deniq; habitatio, neq; magna neq; media capitis diminutione, sed tantum morte naturali, vel rei interitu amittatur. *l. si habitatio. D. h. t.*

Titu-

Titulus VI.

De Usucapionibus & longi temporis possessionibus.

Diximus de varijs modis, quibus rerum dominia jure gentium adquiruntur. Videamus nunc de modis, quibus jure civili res adipiscimur. Id vero fit bifariam, nimirum, vel sigillatim, vel per universitatem. Sigillatim res adquirimus, usucapione, & donatione. §. 1. *h. t.* Usucapio est dominij adjectio per continuationem possessionis temporis lege definiti. *l. 3. D. h. t.* Differt vero multum usucapio à longi temporis possessione. Illa juris est, hæc facti magis est, illa sine titulo sive possessionis caussa non consistit. §. 7. *h. t.* Hæc procedit, etsi titulo vel causa non nitatur. *l. si quis diuturno D. si servit. vindic.* Illa ex incidenti fide mala non perimitur. *l. bonæ fidei. D. de adquir. rer. domi.* Hæc accedente

mala

mala fide interpellatur, *l. pen. c. de præscript. longi temp. l. pen. C. de præscript. longiß. tempor.* Illa in rebus mobilibus olim anno in rebus immobilibus biennio decurrebat & implebatur, *§. 1. h. t.* hæc non nisi longi temporis decursu. Quam differentiam Justinianus sustulit, & illam huic adæquavit, ita ut utraq; inter præsentes decennio, inter absentes vicennio impleatur. Illa dominium adjicit, hæc solam possessionem & temporis prærogativam. Illa actionem parit hæc exceptionem, sive quod perinde est, præscriptionẽ gignit. *d. l. si quis diuturno d. l. pen. C. de præscripsit 30. annor.* Illa litis cõtestatione olim non interumpebatur *l. Iulianus in fin. cum l. seq. l. si à bonæ fidei D. de rei vindicat. l. Iulianus D. ad exhib. l. 2. D pro donat.* hæc lite mota interrumpebatur. *l. nemo ambigit. C. de adquir. poß. l. moræ. C. de rei vindicat.* Sed hæc quoq; differẽtia post est sublata *l. pen. l. fin. C. de annal. except.* Illa servi-

servitutes non adquirebantur, quod possideri non possent, *l. servitutes D. de servitutib.* hac servitutes dominio nostro subjiciebantur. *d. l. si quis diuturno.* Verum hodiè servitutes quoq; usucapiuntur. *l. unic. C. de usucap. transf.* Cæterum ut usucapio sit legitima & firmitatem habeat, necesse est intervenire primò bonam fidem, quæ jure civili in initio usucapionis requiritur, §. *1. & 2. h. t.* sed jure Canonico toto usucapionis tempore necessaria est. *c. fin. ext. de præscript.* Deinde titulum justum sive causam dominij adquirendi justam. *d. §. 1.* Tertio possessionem eamq; continuam & nullo tempore interruptam. *l. 3. h. t.* Et inde est usucapioni nomen ut usucapio sit quasi per usum sive possessionem capio. Nam Vox usus non χρῆσιν sed κτῆσιν significat. Deniq; rem usucapiendam minimè vitiosam sed ejus qualitatis esse oportet, ut usucapi possit. §. *2. h. t.* Vitium

tium vero usucapioni obstans, aut ex re est, aut ex persona est. *l. ubi* §. I. *D. h. t.* Ex re est, quando res dominio & communioni nostræ exempta est, velut liber homo, res sacra, religiosa, sancta, res fisci, res furtiva vel vi possessa. Quod si tamen res furto ablata vel vi possessa in potestatem domini redeat, vitio purgato usucapio illarum rerum rectè procedit. Ex persona vitium est, quando defunctus, rem mala fide posidere & usucapere cæpit, nec enim illàm heres usucapere potest, etsi ipse bona fide posideat. Rursus heres usucapionem per defunctum bona fide inchoatam complet, quamvis ipse possesionem adeptus fidem malam habeat, & prædium alienum esse sciat. §. 8. *h. t.* Est enim heres successor defuncti in virtutes & vitia *d. l. ubi* §. I. Idq; etiam in singulari successore, puta emptore obtinet, ut nimirum tempus, quo venditor bona

fide

fide possidere & usucapere cœpit, tempori, quo emptor bona fide possidere incipit, accedat & conjungatur, atq; usucapio legitimè decurrat. *d. §. 8. l. 2. D. pro emptor.* Singulare autem jus in fisco receptum est, qui rem alienam vendens emptorem statim facit securum, & vero domino intra quadriennium ad satisfactionem obligatur, post quadriennium liber & immunis est. *§. fin. h. t.*

Titulus VII.

De Donationibus.

Donatio vel propria est vel impropria §. 1. *h. t.* Propria sive directa donatio est datio, quæ fit liberalitatis causa hac mente; ut nullo unquam casu revocetur. *§. 2. h. t.* Hæc jure veteri, vel traditione vel stipulatione perficitur, & est donatio dominij adquirendi modus civilis, quando fit per solemnem nexus; sive man-

mancipationis actum. *l. fin. C. h. t.* Naturalis vero modus dominij consequendi est donatio, quando per possessionis traditionem dominium transfert. Hodie nuda voluntate & consensu donatio fit, & non tam adquisitio, quam adquisitionis causa est. Singulare est in hac donatione quod donatio quingentos solidos sive aureos excedens ordinario judici insinuanda & ab illo confirmanda sit, & nisi id fiat, id quod quingentos aureos excedit, pro non donato habeatur. *l. pen. C. h. t.* Donationis impropriæ species prima est donatio, mortis causa & intuitu facta, cum scilicet aliquis ita donat, ut si quid humanitus illi contingat, rem habeat is, qui accipit *d. §. 1. h. t.* Si autem supervivat is, qui donat, rem recipiat. Idem est, si donatorem donationis istius factæ pœniteat, vel donatarius ante donatorem diem obeat: nam utroq; casu res ad dona-

torem

torem redit *d.* §. *1.* Eſt verò hæc donatio dominij acquirendi modus civilis, ex quo etiam ante traditam poſſeſsionem dominium ipſo jure adquiritur, *l.2. D. de public. in rem act.* cùm legatorum inſtar ſe habeat *d.* §. 1. *h. t.* Altera impropriè liberalitatis ſpecies eſt donatio propter nuptias, itemq; dos. Et eſt dos contractus quo certa pecunia marito ab uxore vel iſtius nomine ab alio ad matrimonij onera ferenda datur. Donatio propter nuptias eſt, quæ uxori datur, vel conſtituitur à marito propter dotem. *l. fin. cir. pr. C. de donat. ante nuptias.* Eſt enim donatio illa tanquam dos mariti & velut precium dotis muliebris, quam Juſtinianus ſponſalitiam largitatem alibi dicit. *Novell.119.*

Quibus alienare licet vel non.
Titulus VIII.

Dominij effectus præcipuus eſt, eſſe rei ſuæ moderatorem & arbi-

h. t. Conventione effici poteſt, ut vel is qui dominus eſt, alienare rem ſuam prohibeatur, idq; in pactis gentilitijs de bonis familiæ non alienandis receptum eſt, vel etiam is, qui dominus non eſt, rem jure alienet puta, creditor pignus debitoris, ſi iſte debitum intra dictum diem non ſolvat §. *2. h. t.* Idq; vel expreſſa vel etiam tacita pactione, cum hæc lex pignori tacitè inſit ut diſtrahere pignus liceat *l. 4. D. de pignor. act. l. mulier C. de diſtract. pignor.*

Per quas perſonas cuiq; adquiritur.

Titulus IX.

Adquirimus rerum dominia non tantum per noſmetipſos, ſed & per perſonas in poteſtate noſtra conſtitutas, puta per filiosfamilias, per ſervos, vel proprietate vel uſufructu noſtros, per liberos homines vel ſervos alienos bona fide à nobis poſſeſſos §. *1. h. t.* Hi habent ſuum pec[illegible]um [illegible]od

quod est patrimonium pusillum, permissu parentum vel domini à rationibus paternis vel dominicis separatum deducto inde, si quid patri aut domino debeatur *l. 5. D. de pecul.* Et quidem filiorumf. peculium vel est profectitium vel adventitium, vel castrense, vel quasi castrense *d. §. 1. h. t. l. cum oportet C. de bon. quæ liber.* Profectitium peculium est, quod ex substantia patris vel occasione patris acquiritur, idq; totum ad patrem pertinet *d. §. 1.* nulla enim invidia sive injuria est, quod ex patris occasione profectum est, hoc ad eum reverti, vel potius confestim ipso jure ipsi adquiri adeò ut ne momento quidem in filiorumf. persona consistat *l. placet D. de adquir. heredit.* Adventitium peculium est quod favente fortuna vel industria & laboribus filiorumf. adquiritur, idq; proprietate filiorumf. est, usufructu parentum *d. l. cum oportet.* Sunt tamen certi casus, qui-

quibus adventitij peculij usumfructum patresf. non percipiunt. Primùm si filiof. bona adventitia hoc pacto dentur & obveniant, ne in illis pater usumfructum habeat: *d. l. cum oportet.* Deinde si hereditas fratris vel sororis patrifamil. & filiof. simul obveniat, paterf. in portione filijf. non habet usumfructum. Tertiò, si parentes sine justis causis matrimonium solvant, & in monasterium detrudantur, hereditatis filijsf. debitæ usumfructum non habent. Quartò jus ususfructus in bonis filiorumf. renunciatione à patre facta tollitur. Quintò paterf., qui consentire non vult, ut filiusf. hereditatem sibi relictam adeat, hereditatis illius à filiof. adquisitæ usufructu indignus est. Sextò paterf. usumfructum non habet in servo, qui filiof. sub eâ conditione; ut illum statim manumittat, donatus est. Castrense peculium est, quod filijf. in militia,

vel occasione militiæ adquirunt, *l. 3. l. 5. l. 9. D. de Castrens. pecul.* & sui dominij faciunt, & in eo non filiorum f. sed patrumfamil. vice funguntur *l. 2. ad Senatusc. Macedon.* Cujusmodi quoq; est peculium quasi Castrense, quod ex palatina sive togata militia ejusq; occasione paratur, & solis filijsf. cedit. *l. 1. & tot. tit. D. de Castrens. pecul.* Servi porrò proprietate nostri quicquid ex traditione nanciscuntur vel stipulantur vel quo alio titulo adipiscuntur, id nobis etiam ignorantibus obvenit §. 3. *h. t.* Sed si heredes instituantur, hereditatem non nisi jussu nostro adeunt, & non solum dominium, sed & possessio, quin & possessionis accessio deniq; usucapio nobis per illos adquiritur. Servi usufructu nostri, *d.* §. 3. vel servi alieni §. 4. *h. t.* vel liberi homines à nobis bona fide possessi nobis adquirunt, quicquid ex re nostra vel ex operis

ipso-

ipſorum provenit. Quicquid vero extra illas cauſas venit & paratur, id vel proprietatis domino vel ſervi alieni domino, vel ipſi libero homini cedit, puta, ſi quid illis vel hereditatis vel legati titulo obveniat. Hinc igitur apparet, per liberos homines, quos neq; noſtro juri ſubjectos habemus, neq; fide bona poſſidemus, item per alienos ſervos, in quibus neq; uſumfructum, neq; poſſeſſionem juſtam habemus, nulla ex cauſa nobis adquiri. §. 5. h. t. Atq; hoc eſt, quod dici ſolet; per extraneam perſonam nobis nihil adquiri. Quæ tamen juris definitio in nonnullis caſibus officium ſuum perdit; nam per procuratorem noſtrum, non ſolum ſcientibus ſed & ignorantibus nobis poſſeſſio atq; adeò dominium, ſi dominus ſit, qui tradit, vel uſucapiendi conditio, ſi tradens non ſit dominus, adquiri ſolet, d. §. 5. Pari ratione procurator

actionem creditæ pecuniæ & pignoraticiam nobis adquirit *l. 9. §. si nummus D. de rebus cred. l. 2. C. h. t.* Sic per institores *l. 1. & tot. tit. D. & C. de institor. actionib.* itemq; per navium magistros & sub magistros *l. 1. & seqq. D. & C. de exercit. actio.* deniq; pupillis per tutores certis ex caussis actiones rerumq; dominia & possessionem adquiri constat. *l. 2. l. 4. l. 5. C. quando ex fact. tutor. minor. ager. vel conven.* Diximus hactenus de modis quibus rerum dominia sigillatim vel jure gentium vel jure civili adquiruntur. Videndum nunc est, quomodo res per universitatem dominio nostro adjiciantur. *§. fin. h. t.* Id vero fit vel per hereditatis aditionem vel per bonorum possessionis agnitionem, vel per arrogationem vel per bonorum addictionem quæ libertatum servandarum caussa fit.

De

De Testamentis ordinandis.
Titulus X.

Hereditas, quæ per universitatem dominia rerum tribuit, est successio in universum jus quod defunctus tempore mortis habuit *l. hereditas D. de regul. jur.* Et est vel testamentaria. *l. lege D. de verbor. signif.* vel legitima. Illa ex causa testati, hæc ex causa intestati obvenit. Testamentum vel est paganicum, vel militare. Paganicum est voluntatis nostræ justa sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri velit, *l.* 1. *D. h. t.* vel, ut Justinianus hoc loco simplicius scribit, est testatio mentis, sive voluntatis. §. *1. h. t.* Ac quamvis olim varia testamentorum genera essent, hodie tamen duæ tantum species in usu sunt, unum quod solemne, mysticum, & in scriptis, alterum, quod nuncupativum dicitur. *d.* §. *7.* Testamenti in scriptis requi-

ſita ſunt: primum, ut teſtator teſtamenti factionem habeat. *l. 4. h. t.* Secundum, ut vel ipſe vel ejus nomine alius teſtamentum in ſcripturam redigat. *l. hæc conſultiſsima. C. h. t. Novell. 119.* Tertium, ut ſeptem teſtes idonei adhibeantur, *§. 3. h. t.* Quartum, ut ſeptem illi teſtes ad id ſpecialiter rogentur. *d. §. 3.* Quintum, ut coram teſtibus teſtator edicat, ſcriptura illa ſuam voluntatem ultimam contineri. *d. l. hac conſultiſsima.* Sextum, ut teſtes ſubſcribant, & teſtamentum ſubſignent. *d. l. hac conſultiſsima.* Septimum, ut teſtator ſubſcribat, *d. l. hac conſultiſsima.* niſi fortè teſtamentum ſit holographum, h. e. ipſius teſtatoris manu conſcriptum. *l. cum antiquitas §. fin. C. h. t. Iacob. Cujac. in l. 2. D. h. t.* Octavum, ut pro teſtatore ſcribere neſciente octavus teſtis ſubſcribat, *d. l. hac conſultiſs.* Nonum, ut hæc omnia uno actionis contextu fiant, neq; actus extraneus interm-

miſcea-

miſceatur. *l. heredes palàm* §. *fin.* C. *h. t.* Decimum, ut heredis inſtitutio nominatim fiat, quæ teſtamenti totius fundamentum eſt *l. pen.* D. *de his, quæ in teſtamento del. l.* 10. C. *de jure Codicil. l. jubemus in pr.* C. *h. t.* Teſtes idonei ſunt, cum quibus eſt teſtamenti factio. §. 4. *h. t.* Sed neq; mulier, neq; impubes, neq; ſervus, neq; mutus, neq; ſurdus, neq; furioſus, neq; is, cui bonis interdictum eſt, neq; is, quem leges jubent improbum & inteſtabilem eſſe, poſſunt in numerum teſtium adhiberi. Pater unà cum filiof. itemq; duo fratres, qui ſub ejusdem patris poteſtate ſunt, teſtes in teſtamento extranei admittuntur: §. 5. *h. t.* nam in teſtamento patris filiusf. non eſt idoneus teſtis. Sed neq; heres ſcriptus neq; is, qui in poteſtate ejus eſt, neq; pater ejus, qui illum in poteſtate habet, neq; fratres, qui in ejusdem patris poteſtate ſunt, teſtes adhiberi poſſunt.

D 6 §. 6.

§. *6. h. t.* Legatarijs autem & fideicommissarijs & qui istis conjunguntur, cum juris successores non sint, neq; inter illos & testatorem negotium præcipuè agatur, testimonium non denegatur. §. 7. *h. t.* Possunt testes vel annulo proprio vel alieno, vel etiam omnes simul uno annulo signare *d.* §. 3. *h. t.* Nuncupativum testamentum est, *l. final. h. t. d. l. heredes palàm.* quod coram septem testibus idoneis ad id specialiter rogatis *d. l. heredes* §. *in testamentis*, & in facie & conspectu testatoris constitutis, herede palàm & testibus exaudientibus nominato & nuncupato conditur, *l. si non speciali* C. *h. t.*

De Testamento Militari.

Titulus XI.

Milites dicuntur, qui cingulo militari cincti, *l 25. l. 38.* §. *1. D. h. t.* & in numeros relati, *l. 42. D. h. t.* sacramento solenni omnia se strenuè factu-

facturos pollicentur. *l.* 11. *D. h. t.* Hi testamenta sua singulari jure condunt *l. 2. D. h. t.* neq; ad solemnem testandi observationem adstricti sunt, cum in expeditione constituti *l. 1. C. h. t.* & hostem cum vitæ periculo aggressuri testamentorum solemnia attendere *arg. l.* 1. *D. de bonor. possess. ex testam. milit.* vel etiam peritiores consulere nequeant, ut hic verissimè dici possit, leges inter arma silere *l. fin. cir. pr. C. de jure de liber.* Quilibet igitur miles sive paterf. sive filiusf. in acie, in procinctu, in castris & in stativis quoquo modò voluntatem suã ultimã rectè condit. *Iacob. Cuja. consultat. 99.* & valet ordinatio, etsi observationibus solemnibus destituatur. §. 2. *h. t.* Interim ut de voluntate militum satis constet, ipsorum militum præcipuè interest ne suppositittia aliqua voluntas pro vera & genuina obtrudatur. *d.* §. 2. Defectus igitur solemnium supremum militis judicium

non

non subvertit. Defectus voluntatis testamentum militis funditus evertit. Post missionem milites non nisi jure communi testantur. Missio vel est honesta, quæ emeritis stipendijs, vel ante ex singulari gratia indulgetur. Vel causaria, quæ propter valetudinem laboribus militiæ solvit, vel ignominiosa, quæ ob scelus ignominiæ causa contingit. *l. 2. §. 1. D. de his qui not. inf.* De utraq; priore agit Imperator hoc loco, non de postrema. Quid verò si testamentum in castris à milite factum sit, & miles post dimissus? Et placet testamentum anni spatio à missione facta computando vires habere, sed post deficere, & jure communi testamentum, ut valeat, condendum esse.

Quibus non est permissum facere testamentum.

Titulus XII.

Prohibentur testamentum paganicum

nicum facere servus, itemq; filiusf. præterquam in Castrensi vel quasi Castrensi peculio §. *fin. 5. tit. præce.* §. *1. h. t.* impubes, furiosus, prodigus, mutus & surdus. §. 2. *h. t.* Sed hoc distinctionem recipit: nam surdus mutus ita natus testamenti factionem non habet. *l. discretis C. h. t.* Mutus surdus ita factus testamentum rectè scribit, si literas sciat. *d. l. discretis.* Mutus ita natus vel factus testamenti faciendi jus habet, si literarum scientiam habeat. *d. l. discretis.* Surdus ita natus vel factus liberum de rebus suis disponendi arbitrium habet, sive literas sciat, sive literarum imperitus sit. *d. l. discretis.* Cœcus porrò sive ita natus sive factus testamentum nuncupativum rectè ordinat, si coram septem testibus ad id convocatis, & tabulario, vel si ille desit, octavo teste adhibito heredem certum nuncupet, & legata vel fideicommissa relinquat, vel quid aliud fieri

aut

aut non fieri palàm edicat, vel certis indicijs demonſtret, & hanc ordinationem ſuam manu tabularij conſcribi & ſignari, ſed à teſtibus ſubſcribi & obſignari jubeat *l. hac conſultiſſima. 8. C. h. t.* Ceterum in teſtamenti factione tempus condendæ voluntatis ultimæ inſpici & conſiderari oportet, *l. 2. D. h. t.* Hinc ejus, qui apud hoſtes eſt, teſtamentum, quod ibi fecit, non valet, quamvis redierit. Sed teſtamentum quod dum in civitate fuerat, fecit, ſive redierit, valet jure poſtliminij, quo nunquam captus fuiſſe fingitur, ſive illic deceſſerit, valet ex lege Cornelia, quæ fingit captum ipſo captivitatis momento deceſsiſſe, & civem Romanum atq; hominem liberum permanſiſſe.

De Inſtitutione & Exheredatione liberorum.

Titulus XIII.

Liberi quamvis viventibus etiam pa-

patribusf. quodam modo domini bonorum paternorum esse existimentur, & post mortem patrumf. non hereditatem percipere sed magis liberam bonorum administrationem consequi videantur, tamen patri liberum de bonis suis arbitrium est, qui liberos vel heredes instituere, vel justas ob causas nominatim exheredare, non verò silentio præterire potest. *l. in suis D. de liber. & post. hered. institut.* Instituere heredem, nihil aliud est, quam designare eum, quem quis post mortem suam sibi successorem esse velit. Exheredare est hereditatem jure debitam certis de causis eripere: Præterire, etsi neq; instituere neq; exheredare est, tamen in effectu exheredationem sapit. Liberum vero est parentibus, si liberis portionem bonorum debitam relinquant, in cæteris bonis, quos velint, instituere. Debita autem portio est triens si quatuor aut pauciores liberi

beri ſint, vel ſemis, ſi plures ſint liberi. *auth. noviſſima C.de in offic. teſtam.* Inde vulgatus verſiculus:

Quatuor aut infra dant natis jura trientem,
Pluribus aut ſupra dant natis jura ſemiſſem.

Hanc verò portionem, ſi liberis parens adimere & eripere velit, neceſſe omnino eſt, ut juſtas exheredationis cauſas habeat, *Novel. 115.*

Bis ſeptem ex cauſis exheres filius eſto:
Si patrem feriat, vel maledicat ei.
Carcere detruſum ſi negligat, aut furioſum;
Criminis accuſet, vel paret inſidias.
Si dederit damnum grave, ſi nec ab hoſte redemit,
Teſtarivè vetet, ſe ſocietvè malis
Si mimos ſequitur vitietvè cubile paternũ,
Non orthodoxus, filia ſi meretrix.

Notandum verò eſt, exheredationis cauſam à patre in teſtamento expreſſam ab herede inſtituto probandam eſſe. §. *ſive igitur d.Novell. 115.* Atq; hinc conſequitur, poſthumos exheredari non

non posse, cum nulla in illos cadat ingratitudo. Ceterum an aliæ causæ præter enumeratas à Justiniano sufficere ad exheredationem posint, quæsitum est? Et verior est affirmantium sententia: Ingratitudo enim exheredationis causa prima & maxima est, quæ ex pluribus causis judicis pij, boni & docti arbitrio committendis se ostendere potest.

De heredibus instituendis.

Titulus XIV.

Si quis liberos suos juste exheredet, vel etiam liberos non habeat, illi quosvis extraneos tam servos quam liberos heredes instituere permissum est. §. *1* & *2. h. t.* Heredis institutio nihil aliud est, quam hereditatis datio. Hereditas plerumq; dividitur in duodecim uncias, quæ asis appellatione continentur §. *4. h. t.* Prima asis pars uncia est, cui si alte-

altera adjungatur, ſextans eſt. Sextans enim quaſi ſexta pars aſsis, duas uncias continet. Quadrans quaſi quarta aſsis pars, tres uncias habet. Triens quaſi tertia pars aſsis, quatuor uncias continet. Quincunx dicitur, quod quinq; uncias habeat. Semis quaſi ſemi as dicitur, & eſt ſex unciarum. Septunx dicitur quod ſeptem uncias contineat. Bes quaſi bis triens octo habet uncias. Dodrans quaſi aſsis quadrante detracto novem habet uncias. Dextans quaſi aſsis ſextante dempto decem uncias continet. Deunx quaſi aſsis uncia detracta, undecim eſt unciarum. Deunci addita uncia as completur. Hanc verò aſsis ſolemnem diſtributionem teſtator vel ſequi poteſt in teſtamento, vel eandem ad dupondium ſive viginti quatuor uncias, vel etiam ad tripondium, ſive triginta ſex uncias extendere. Semper tamen, niſi contraria voluntas appareat, ſolem-

ſolemnem aſsis diſtributionem teſtatorem ſequi voluiſſe exiſtimandum & reſpondendum eſt: Hinc exempli cauſa: ſi primum ex octo uncijs ſecundum ſimpliciter teſtator inſtituat, ſecundus quatuor uncias feret. Si plures inſtituantur heredes, ita demum in hoc caſu partium diſtributio neceſſaria eſt, ſi nolit teſtator eos ex æquis partibus heredes eſſe. §. 5. *h. t.* ſatis enim conſtat, nullis partibus nominatis ex æquis partibus eos heredes eſſe. Heres vel pure, puta, Titius, heres eſto, vel ſub conditione, puta, ſi heres hoc aut illud faciat rectè ſcribi poteſt. §. 7. *h. t.* At ex certo tempore, puta poſt quinquennium, vel ad certum tempus, puta ad quadriennium heres inſtitui nequit. Et ſecus ſi fiat, dies ſive tempus pro non adjecto habetur: nam jus noſtrum non patitur eundem in paganis teſtato ſimul & inteſtato deceſsiſſe. *l. jus noſtrum D. de reg. jur.* Pari

ratio-

ratione conditio impoſsibilis puta ſi digito cœlum attigeris, pro non appoſita habetur. §. 8. *h. t.*

De Vulgari ſubſtitutione.
Titulus XV.

Inſtitutionis ſpecies eſt, ſubſtitutio, Hæc vel vulgaris. §. 1. *h. t.* vel pupillaris. De vulgari ſubſtitutione hoc loco tractatur, quæ eſt datio hereditatis alteri delatæ. Verbi gratia: Titius heres eſto, ſi Titius heres non erit, Gajus heres eſto. Hoc caſu duo ſunt gradus, & in primo gradu hereditas defertur inſtitutis, ſed in ſecundo gradu ſubſtitutis, ſi primus gradus deficiat. Gradus verò non eſt heredum numero ſed ſucceſsionis ordine æſtimandus: nam primum gradum faciunt, quotquot ſunt heredes inſtituti, alterum gradum ſubſtituti: Neq; ad ſecundum gradum venitur, niſi primus gradus initio conſtiterit, & inſtitutio per ſe juſta, legitima &

utilis

utilis fuerit, ſed poſt defecerit. Quod ſi inſtitutio heredum vel ex partibus paribus vel etiam diſparibus facta & ſubſtitutio ſine ullis partibus adjecta ſit, partes in inſtitutione expreſſæ, in ſubſtitutione cenſentur repetitæ. §. 2.

De Pupillari Subſtitutione. Titulus XVI.

Pupillaris ſubſtitutio eſt datio hereditatis alteri vel delatæ vel adquiſitæ exempli cauſa: Filius meus impubes mihi heres eſto. Si heres non erit, vel erit quidem, ſed intra pubertatem deceſſerit, Cajus heres eſto. §. 1. Sunt igitur hujus ſubſtitutionis duo caſus nimirum unus, ſi filius heres non fiat, alter caſus, ſi fiat heres, ſed ante pubertatem moriatur. Inde ſubſtitutio hæc dici ſolet duplex, quod duplicem ſucceſsionis caſum in ſe complectatur. Sunt & aliæ ſubſtitutionum ſpecies puta ſi pater filijs

filijs ſuis etiam puberibus ſed mente captis ſubſtituat §. 2. Quam ſubſtitutionem interpretes vocant exemplarem, quod ad exemplum pupillaris ſubſtitutionis fiat. Alij quaſi pupillarem appellant, quod ad inſtar pupillaris ſubſtitutionis fiat, & tamen ab hac differat, cum hæc pubertate finiatur, illa ultra pubertatem ſe extendat, hæc à ſolo patref. illa à quovis parente recte fiat *l. humanitatis. C. de impuber. & alijs ſubſtit.* hæc exheredatis etiam fiat, illa tantum inſtitutis. *§. 5. h. t. d. l. humanitatis.* ſed utraq; fit in teſtamento patris. Inde pupillaris & quaſi pupillaris ſubſtitutiones quodammodo duo teſtamenta eſſe cenſentur, unum patris, alterum filij, vel certe unum teſtamentum duarum cauſarum ſive hereditatum §. 3. *h. t. l. 2. §. 1. D. de hered. vend.* nam pupillare teſtamentum pars & ſequela eſt, paterni teſtamenti, ideoq; corruente paterno teſta-

testamento filij quoq; testamentum evanescit. §. 6. h. t. Potest tamen pater testamentum suum partim manifestare, & quem filio suo, si ante illum moriatur, heredem esse velit, aperte testari, sed alterum substitutionis casum quo heres existet, & intra pubertatem moriatur, quoquo modo involvere & ut id clausum relinquatur, præcipere quoad casus ille extiterit, & filius intra pubertatem decesserit. §. 4. h. t.

Quibus modis testamenta infirmentur.

Titulus XVII.

Eleganter vir sanctus Augustin. *Psal.* 21. scribit, cum testamentum prolatum fuerit in publicum, tacent omnes, ut tabulæ aperiantur & recitentur. Judex intentus audit, advocati silent, præcones silentium faciunt, universus populus suspensus est, ut legantur verba mortui non

sentientis in monumento: Ille sine sensu jacet in monumento & valent verba ipsius. Et Constantinus imperator, nihil magis, inquit, hominibus debetur, quam ut supremæ voluntatis, postquam jam aliud velle non possunt, liber sit stylus, & licitum, quod iterum non redit, arbitrium. *l.2. C. de sacrosanct. eccles.* Verum hæc de testamentis pijs, justis, legitimis, minimeq; vitiosis accipi debent: nam illegitima & vitiosa testamenta vim & efficaciam nullam habent. Testamenta verò vel ab initio vitiosa sunt, vel ex post facto in vitia delabuntur *l. 1. §. sive autem D. de tab. exhib.* Ab initio vitiosa dicuntur, quæ non sunt jure facta, vel in quibus filiusf. à patref. præteritus est, de quibus vitijs supra egimus. Ex postfacto testamenta vitiantur, si vel rumpantur, vel irrita fiant. Rumpuntur agnatione sui heredis, puta, si post testamenta facta testatori suus

hæres

hæres nascatur §. 1. *h. t.* item mutatione, si testator post fecerit testamentum aliud priori adversum §. 2. *h. t.* sola namq; voluntate, quod testator fortè dicat, nolle se testamentum suum valere, vel etiam prius testamentum mutare incipiat, sed non perficiat, testamentum, prius minime rumpitur. §. 6. *&* §. 4. *h. t.* Infirmantur, sive irrita fiunt testamenta, si testator capitis diminutionem patiatur *d.* §. 4. *l.* 2. §. 1. D. *quem. testam. aperian. l. licet* D. *de verbor. signif.* Quæ etsi rupta dicere possumus, tamen magis propriè irrita vocantur, & est commodius, singulas res, & causas singulis & proprijs appellationibus distinguere. §. 6. *h. t.* ceterum ex testamento imperfecto ne quidem ipse princeps vel Imperator hereditatem rectè petit §. *fin. h. t.* Licet enim princeps legibus solutus sit, attamen legibus vivit.

De Inofficioso Testamento.
Titulus. XVIII.

Verissimum est, quod Ulpianus scribit, naturalem hominum ad dissentiendum facilitatem esse. *l. item si unus §. pen. D. de recept. qui arbitr. recep.* itaq; fit nonnunquam judicium inter patrem & filium: Queritur pater de malo filio, aut queritur filius de duro patre, servamus honorificentiam, quæ debetur patri à filio, quæ deficit à filio. Non æquamus filium patri in honore, sed præponimus, si bonam caussam habet filium, & æquamus patri in veritate, & sic tribuimus honorem debitum, ut non perdat æqualitas meritum, uti pulchrè Augustinus scribit. *tractat. 30. in Ioan.* liberis ratio naturalis quasi lex quædam tacita parentum hereditatem addicit, *l. cum ratio D. de bonis damnator.* eosq; naturæ & parentum commune votum ad hereditatem

vocat,

vocat. *l. scripto D. unde liber.* Hoc jus & votum pater violat & contra pietatis officium facit, si liberos sine legitima, magna & gravi causa ab hereditate excludat, & pegrinos instituat, ideoq; contra heredes scriptos querela inofficiosi testamenti competit, quâ testamentum velut inofficiosum declarari ac rescindi, & filio hereditatem debitam adjudicari petitur *l. 1. & tot. tit. D. & C. de inofficio. test.* §. 1. *& seq. h. t.* Sed si pater filio aliquid, quod minus sit legitimâ, in testamento relinquat, querela inofficiosi testamenti ob naturæ verecundiam cessat, & filio datur actio ad supplementum legitimæ, quæ triens est, si quatuor vel pauciores liberi sint, vel semis, si quinq; vel plures liberi supersint. §. 3. *h. t. auth novissima C. eodem.* Rursus parentes ad liberorum hereditatem ratio miserationis admittit *d. l. scripto.* Quod jus lædunt, & turbatum mortalitatis ordinem

qualitatis, ſed in triplici differentia vel enim ſunt neceſſarij, vel ſui & neceſſarij, vel deniq; extranei. §.1.*h.t.* Neceſſarij heredes ſunt ſervi, qui cum libertate data heredes inſtituti ſive velint ſive nolint, hereditatem adire jure civili coguntur. Sed tamen ex prætoris benignitate beneficium ſeparationis habent, ut â bonis defuncti, abſtinere, & illa creditoribus in ſolutum dare, & res proprias, quas compararunt, ſeparare & ſibi retinere poſsint. *d.* §. 1. *l. nam. nec D. de legat. 1.* Sui & neceſſarij heredes ſunt liberi in parentum poteſtate poſiti §. 2. *h. t.* Dicuntur ſui quia primum gradum in hereditate & familia obtineant. Dicuntur neceſſarij quod volentes nolentes hereditatem adire tenentur, licet illis quoq; prætor abſtentionis beneficium indulgeat. *d.* §. 2. *in fin.* Extranei heredes ſunt non illi ſolum, qui nulla cognatione teſtatorem at-

tingunt, sed & filij emancipati & ceteri liberi omnes, qui à matre vel lineæ maternæ parente, puta, avo materno instituti sunt. Quamvis enim suitatis & emancipationis differentia quoad successionem sublata sit, tamen effectus aliquot differentiæ illius manserunt. Nam sui heredes ipso jure heredes sunt, emancipati aditione hereditatem adipiscuntur *l. emancipati ibi DD. de C. qui admit. ad bonor. possess.* Illi ab hereditate abstinent. Hi hereditatem repudiant. Debet vero heres qui hereditatem adire velit, scire, utrum heres sit necessarius, an voluntarius sive extraneus, *l. 15. eum. l. seq. D. de adquir. hered.* utrum heres sit ex testamento. *l. 17. D. d. t. §. fin. h. t.* an ab intestato, utrum testamentum valeat necnè, *d. l. 17. l. 22. l. 30. §. final. l. 51. D. d. t.* Utrum testator paterf. an filiusf. sit, *l. 32. l. 34. D. d. t.* utrum purè an sub conditione heres sit scriptus *d. l. 32.* Porrò cum here-

hereditatis vires ut plurimum ignorentur & æs alienum lateat, indeq; heres institutus facile lædi possit, olim dabatur heredi ad deliberandum annus utilis, intra quem expendere secum poterat, utrum hereditatem adire expediret nec ne *l. fin. C. de jur. deliber.* Sed Justinianus melius & utilius remedium heredibus dedit ut hereditatem inventario intra 30. dies solemniter facto adeant & ultra vires hereditarias non teneantur.

De Legatis.
Titulus XX.

Solent testatores non solum heredes instituere sed & legata relinquere. Legati appellatio latissima est, & libertatem dandi, tutelas constituendi, atq; heredes instituendi jus & potestatem complectitur. *l. Verbis D. de V.S.* Sed post vocis illius significatio coangustata & ad titulum liberalitatis singularem restricta est. Et in hac significatione legatum est dona-

tio quædam à defuncto relicta. *§. 1. h. t.* Legatum dat, qui testamenti habet factionem. Legatum capit cum quo est testamenti factio *§. legat. 24. h. t.* Legantur omnes res tam soli quam mobiles, tam incorporales quam corporales, *§. non solum h. t. l. cætera D. de legat. 1.* tam nasciturae & post exstituræ, quam natæ & exstantes, tam alienæ quam propriæ, & tenetur heres res alienas legatas redimere, vel precium illarum solvere *§. ea quoq; res h. t.* Legatarum rerum dominium statim à morte testatoris ipso jure & recta via in legatarium transit, indeq; fit, quod rerum legatarum periculum non heres *l. à Titio D. de. furt.* sed legatarius præstat *§. si res h. t.* sed & inde contingit, quod ad legatam rem consequendam non tantum actio ex testamento personalis sed & rei vindicatio & hypotecaria detur *§. nostro autem. h. t.*

De Ademptione & translatione legatorum.

Titulus XXI.

Nihil magis naturali rationi convenit, quam unumquodq; eo genere dissolvi, quo colligatum est. *l. nihil magis D. de reg. juris.* Ita fit in legatis, quæ data & relicta rursus adimuntur voluntate ultima contraria tam tacita. *l. 3. §. ult. l. ex parte. D. h. t.* quam expressa. *l. 17. h. t.* tam codicillis quam testamento declarata §. 1. *h. t.* Lex quoq; legata aliquando adimit, puta illi, qui testamentum falsum vel inofficiosum dicendo in jure succumbit, *l. qui falsus C. ad legem Cor. de fals.* vel qui à testatore tutor creatus à tutela sese excusat *l. post legatum. §. amittere D. de his quibus ut indig.* Nam uterq; legatum à testatore relictum amittit. Deniq; corruunt legata, si testamentum sit destitutum vel desertum ex quo nemo hereditatem adit. *l. si nemo*

D. de testament. tutel. l. si nemo D. de reg. jur.

De lege Falcidia.

Titulus. XXII.

Etsi quilibet rei suæ moderator & arbiter est *l. in re mandata C. Mandat.* tamen arbitrium suum ad juris regulas conformare debet, cum nemo cavere possit, ne leges in testamento suo locum habeant. *l nemo D de legat. 1.* Est vero heredum institutionibus certus modus positus, quem supra explicavimus. Ponitur hoc loco legatis certus modus quem excedere non licet: nam si testator legata diffusa & immensa relinquat heredi potestas legibus concessa est, ut ex l. Falcidia quadrantem de hereditate legatis exhausta vel onerata decerpat. Hic vero quadrans detrahitur, vel ab uno vel à pluribus institutis heredibus. Proinde si quatuor heredes instituantur singulis tantum quadrantis

qua-

quadrantem de hereditate auferre licebit. §. 1. *in fin. h. t.* Sed si testator heredes duos & utrumq; in semisse separatim instituat & unius semissem non oneret, alterius semissem legatis exhauriat, certe potest iste suo loco & nomine quadrantem decerpere §. *2. h. t.* Et hoc est quod dici solet in singulis heredibus rationem legis Falcidiæ ponendam esse, quando scilicet heredes non conjunctim in genere sed disjunctim in partibus instituuntur *l. in singulis D. h. t. d.* §. *2.* Ceterũ quantitatem patrimonij, ad quam legis Falcidiæ ratio redigenda est, mortis tempore spectari oportet, §. *3. h. t.* Ita ut ante omnia deducatur funeris impensa, omneq; æs alienum §. *4. h. t.* Quocirca si post mortis tempus hereditas creverit, id heredis lucro cedit, neq; hereditati accedit, non auget hereditatem, nec in Falcidiam imputatur.

De fidei commissarijs hereditatibus. *Titulus XXIII.*

Hereditas uti & legata non ſolum verbis directis & civilibus ſecundum illa, quæ ſupra diximus, ſed & obliquis precarijs & inflexis verbis relinquuntur, quod per fideicõmiſſum fieri aſſolet. *l. quoniam C. de teſtamentis.* Fideicommiſſum inde appellatum eſt, quod nullo juris vinculo ſed pudore tantum & fide eorum, qui rogantur, conſtet & gubernetur. §. *1. h. t.* Eſt vero vel univerſale vel ſingulare. Fideicommiſſum univerſale eſt liberalitas, qua verbis precarijs vel alio quocunq; precariæ voluntatis judicio hereditas in aliquem confertur vel ex teſtati vel etiam ex inteſtati cauſa. §. *9. h. t.* Neceſſe verò eſt, ut teſtamento heres directo ſcribatur ejusq; fidei committatur, ut hereditatem alteri reſtituat. §. *2. h. t.* verbi gratia: Titium heredem inſtituo, eumq;

eumq; rogo, ut Gajo hereditatem restituat. Fideicommissam non tantum purè vel sub conditione, sed etiam ex certo tempore fieri potest, cum non ex rigore juris civilis proficiscatur, sed ex voluntate detur relinquentis, *Ulpian. in fragment. §. 1. tit. de fidei com.* Heres directò ita scriptus propriè heres est, & heres permanet. §. *13. h. t.* Sed fideicommissarius impropriè heres dicitur, unde Justinianus eum appellat tanquam heredem. §. *5. h. t.* & Paulus Jurisconsultus quasi heredem *l. 16. de hered. vel action. vendit.* Quamvis verò fideicommissa origine sua juxta heredis directo scripti arbitrium regerentur, tamen paulo post ad necessitatem sunt redacta & vim ultimæ voluntatis habent. §. *1. §. 10. h. t.* Quocirca ne heres scriptus hereditatem adire & restituere recusaret, placuit, ut heres verbis civilibus institutus quadrantem de hereditate sibi ser-

vet,

vet, quam omni ære alieno prius deducto capit. §. 6. *h. t.* Ceterum fideicommissa regulariter probantur quinq; testibus, qui si desint, actio & petitio inanis est, nisi forsitan heres fideicommissarius justis causis suffultus hereditatem sibi relictam esse affirmet §. 10. *h. t.* Nam is, si prius de calumnia juret, potest heredi jusjurandum deferre,& cogitur heres jurare, fideicommissum nõ esse datum, vel si jurare recuset, fideicommissum præstare tenetur, nec potestatem habet, jusjurandum referendi §. *fin. h. t.*

De rebus singulis per fideicommissum relictis.

Titulus XXIV.

Fideicommissum singulare nihil est aliud quam donatio precarijs verbis à defuncto relicta. Id cum legatis exæquatum sit, ijsdem quibus legata, legibus, regulis & conditionibus censendum est.

De

De codicillis.

Titulus XXV.

Voluntates ultimæ vel ſolemnes vel minus ſolemnes ſunt. De illis hactenus egimus. In iſtarum numero codicilli collocantur, qui ſunt teſtati vel inteſtati voluntas minus ſolemnis de eo, quod quis poſt mortem ſuam fieri velit. §. 2. *h. t.* Differunt à donatione mortis cauſa, quæ eſt, voluntas quædam ultima minus ſolemnis, quæ ex mortis inſtantis ſive futuræ conſideratione & metu venit & proficiſcitur *l. 2. D. de mort. cauſa donat. l. fin. C. eodem.* Non ſunt verò condicilli voluntas ſolemnis, quia neq; neceſſe eſt, ut teſtatoris manu vel ſcribantur, vel ſubſignentur *l. Divi §. codicillos D. h. t.* neq; teſtium ſeptem præſentia requiritur, neq; ut teſtes ad id ſpecialiter rogentur neceſſarium eſt *l. fin. C. h. t.* Sunt tamen codicilli volun-

tas minus solemnis, quia testium quinq; præsentia in illis exigitur, & ut illi uno eodemq; tempore adhibeantur oportet. *l. fin.* §. *ult.* C. *h. t.* Codicillis hereditas directò neq; dari neq; adimi potest, sed per fideicommissum id jure permittitur. Quin & militi codicillis hereditatem directò transferre concessum est. *l. militis D. de militar. testam.* deniq; testator directò heredem scribens & clausulam codicillarem adijciens, nimirum, ut testamentum, si non valeat tanquam solemne testamentum, valeat, saltem velut condicillus, clausulæ illius adjectione directam heredis institutionem in fideicommissariam convertisse & transformasse censetur, & testamentum in vim fideicommissi sustinetur.

Finis libri Secundi Institut.

LIBER TERTIUS.

DE HEREDITATIBUS QVAE AB INTESTATO DEFERUNTUR.

Titulus I.

HEreditas ab intestato defertur secundum cognationis ordinem, & gradus prærogativam. Cognationis ordo triplex est, & triplicem constituit ab intestato successionem: cognatio namq; vel lineæ rectæ est, vel lineæ transversalis sive collateralis. Linea recta vel est ascendentium vel descendentium. Ex transverso linea est agnatorum & cognatorum ex latere venien-

venientium. Et licet olim jure veteri inter personas tam aſcendentes & deſcendentes quam inter agnatos & cognatos magna quoad ſucceſsionem differentia eſſet, hodiè tamen differentiæ illæ obſoletæ ſunt, & ſine qualitatum illarum diſcrimine ſuccedendi ordo vel aſcendentium vel deſcentium vel collateralium eſt, nulla ſexus vel agnationis prærogativa habita. In primo ordine deſcendentium ſubſequentes regulæ tenendæ ſunt. Prima regula: Filij naturales & legitimi, itemq; filiæ primi gradus, ſi ſoli ſint, parentibus ſuis ſuccedunt ſimul & æqualiter, excluſis omnibus aſcendentibus & collateralibus, *auth. in ſucceßione C de ſuis & legit. hered.* Secunda regula: Filij primi gradus, ſi ſoli non ſint, ſed ex filio uno mortuo nepotes vel etiam pronepotes cum illis concurrant, nepotes vel pronepotes illi locum filij mortui patris ſui ſubintrant ejusq; por-

portionem capiunt atq; in ſtirpem ſuccedunt, hoc eſt, in illam partem, quam pater ipſorum, ſi viveret, habiturus fuiſſet, §. *cum filius h. t. l. 3. C. de ſuis & legit.* §. *ſi quis igitur Novell. h. t.* Et illa ſucceſsio fieri dicitur jure vel lege repræſentationis, quæ in deſcendentibus in infinitum locum habet. *d.* §. *3. cum filius* §. *fin. h. t. l. ult. C. de ſuis & legit. hered.* Tertia regula: Si defunctus nullos filios filiasve superſtites relinquat, ſed tantum nepotes, hi quoq; ſi in pari gradu & pari numero ſint, æqualiter ſuccedunt. *d.* §. *cum filius.* Quarta regula: ſi defunctus nepotes relinquat, qui ſint quidem in gradu pari, attamen diverſi numeri, & verbi gratia, ex uno filio tres ex altero quinq; progeniti, ſucceſsio fit in ſtirpes, & tantum capiunt tres illi, quam quinq; iſti. *d.* §. *cum filius h. t. l. 2. C. de ſuis & legit. hered.* Quinta regula: Quod de liberis naturalibus & legitimis diximus id de filijs

per

per ſubſequens matrimonium legitimatis ſtatui debet, ita, ut ſimul cum legitimè natis ſuccedant. §. *quibus connumerari h. t.* Sexta regula: Legitimati liberi per oblationem curiæ ſuccedunt ſimiliter cum legitimè natis patri ſuo in æquas partes. *d.* §. *quibus.* Septima regula: Legitimati per reſcriptum principis habentur quidem inſtar filiorum, ſed patri tum demum ſuccedunt, quando naturales & legitimi filij nulli extant. *d.* §. *quibus.* Octava regula: Filij adoptivi ab extraneo adoptati cum filijs naturalibus & legitimis patri ſuccedunt, ſed teſtamento illos præterire patri permiſſum eſt. *l. penult.* §. *quæ in filio C. de adopt.* Nona regula: Filij ab aliquo aſcendentium adoptati ſine exceptione cum ceteris ad ſucceſsionem admittuntur & teſtamento prætiriri nequeunt. *d. l. pen.* §. *ſi vero princ.* Decima regula: Filijs tantum naturalibus, ſi filij naturales & le-

& legitimi concurrant, una solum ex testamento uncia relinqui potest, quam cum matre sua percipiunt, *§. discretis, Quibus mod. natural. effic. legit. & §. consideremus Novel. de trient. & semiß.* verum ab intestato nihil ferunt præter alimenta viri boni arbitratu æstimanda. *d. §. discretis.* Undecima regula: Defunctus naturalibus filijs suis, quos solos relinquit, hereditatem totam testamento assignare potest, sed & illi ab intestato in duabus uncijs succedunt cum matre sua, si nulli filij naturales & legitimi supersint & defuncti quoq; conjunx diem obierit. *d. §. discretis l. humanitatis & auth. licet* C. *de naturalib. liber.* Duodecima regula: Filij naturales matri suæ perindè ac si legitimè nati essent, succedunt unà cum legitimè natis. *l. si qua illustris* C. *ad SC. orfic.* Decima tertia regula: Filij naturales non solum matri, sed & ascendentibus per matrem heredes ab intesta-

to

to existunt. *Dd. in d. l. si qua illustris.* Decima quarta regula: Filij Spurij patri non succedunt, cum patrem certum dicere non possint. *§. novissimè ibi interp. l. ad SC. Orfic.* Succedunt tamen matri & ascendentibus per matrem, & quoad hanc successionem legitimis liberis comparantur, & unà cum istis hereditatem ex æquo capiunt, *d. §. novissimè*, nisi forte mater sit illustris persona: nam ex illa editi filij naturales & legitimi naturalibus anteferuntur. *d. l. si qua illustris.* Regula decima quinta: Filij ex nefario, incesto, adulterino, & damnato complexu nati, neq; patri neq; matri succedunt, sed tantum capiunt, quantum alendis illis sufficit. *auth. ex complexu C. de incert. nupt. §. final. Novell. Quibus modis natural. effic. legit. Bartol. in d. auth. ex complexu §. cum habere, ibi. canon. extr. de eo qui duxit, quam polluit &c.* In secundo ascendentium ordine prima regula esto:

esto: Pater & mater si ambo supersint, & soli in pari gradu extent pariter & æqualiter defuncto filio succedunt. *auth. defuncto C. ad SC. Tertul. §. sed nos* 1. *de SCto Tertul.* Secunda regula: si plures ascendentes gradu dispares sint, proximior gradu remotiorem excludit, & verbi gratiâ, pater avo sive paterno sive materno præfertur. *c. 2. Novel 118.* nam in linea ascendenti jus repræsentationis non obtinet. *d. auth. defuncto § præferuntur. Inst. de SC. Tertul.* Tertia regula: Si sint plures ascendentes disparis numeri sed paris gradus, ut puta, si defunctus post se relinquat aviam maternam ex una & avum itemque aviam paternam ex altera parte, hereditas in duas partes dividitur, quarum unam avia materna sed alteram avus & avia paterna capiunt. *d. auth. defuncto.* Quarta regula, quæ præcedentis regulæ exceptio quædam est: Ascendentes in illis bonis, quæ ab

ipsis ad filium defunctum ante devenerunt, ceteris ascendentibus quantumvis gradu paribus anteferuntur. *l. quod scitis C. de bon. quæ lib. Barthol. in auth. itaq; C. Com. de successionib.* Quinta regula: Si ascendentes non sint soli, sed cum illis fratres vel sorores defuncto utrinque conjuncti concurrant successio fit in capita sive in personas, & singuli singulas & æquales portiones ferunt, *d. auth. defuncto d. c. 2. No. 118.* idq; procedit sive ascendentes concurrant in primo gradu, puta, pater aut mater, sive etjam in secundo, vel tertio gradu, puta avus vel proavus. *Dd. in d. auth. defuncto & in d. auth. consequens.* Sexta regula: Si ascendentes cum fratrum & sororum utrinque conjunctorum filijs aut filiabus concurrant, filij filiævè in locum patris intrant, in stirpem succedunt, & eam partem accipiunt, quam defunctus illorum pater

ter percepturus fuisset, quod jure repræsentationis contingit, & ultra fratrum filios non extenditur. §. 1. *Novel. ut fratr. filij.* Septima regula: Pater adoptans si sit extraneus, filio non succedit, at si adoptans sit aliquis ascendentium, hereditatem jure capit §. *sed hodiè de adopt.* Octava regula: Pater naturalis tantum filio suo liberos naturales & legitimos habenti vel etjam uxorem post se relinquenti non succedit, sed illis deficientibus duas uncias consequitur. *auth. licet C. de natur. liber.* Nona regula: Mater si sola sit filio naturali sine liberis decedenti in totum succedit *l. hac parte l. si Spurius D. unde cogn.* §. *fin. Inst. de SC. Tertul.* Decima regula: Pater & mater naturalis si concurrant, pater in duabus uncijs sive in sextante, sed mater in decem uncijs sive in dextante filio sine liberis obeunti succedit. *d. loc.* Undecima regula: Pater & mater itemque fra-

tres naturales si concurrant, pater sextantem, mater & fratres naturales dextantem de hereditate filij liberos non habentis adquirunt. *Dd. in d. auth. defuncto*. Duodecima regula: Filius si testatus moriatur, & neque liberos naturales & legitimos, neq; uxorem relinquat, patrem naturalem vel in totum vel pro parte heredem jure scribit *d. auth. licet*. Decima tertia regula: Parentes spurij filijs spurijs non succedunt, cum generatio sit incerta & vaga *l. si spurius. D. unde cognat*. Decima quarta regula: Mater filio spurio simpliciter succedit §. *final.* 1. *SCto Tertull.* §. *vulgò quæsitus* 1. *de suc. cogn. d. l. si spurius*. Decima quinta regula: Parentes filijs ex incesto & damnato coitu natis non succedunt. *d. auth. ex complexu*. In tertio ex transverso venientium ordine regula prima est: Si descendentes vel ascendentes nulli sint, fratres & sorores ex utroq; latere conjuncti tam per sub-

sequens

ſequens matrimonium legitimati quam legitimi & naturales defuncto fratri aut ſorori ſuccedunt in capita æqualiter, ſive bona quæ reliquerunt, ſint paterna ſive materna, ſive quocunque alio modo quæſita, & excluduntur fratres vel ſorores, ex uno latere venientes. *auth. ceſſante C. de legit. her. §. ſi igitur defunctus Novell. h. t.* Secunda regula: Si defunctus non quidem fratres aut ſorores ex utroq; latere conjunctos, ſed horum filios, itemque fratres & ſorores ex uno latere relinquat, illi hiſce in ſucceſsione præferuntur. *d. auth. ceſſante & Nov. de conſang. & uter. fratrib.* Tertia regula: Si defunctus fratres & ſorores utrinq; cognatos, & ſimul fratris vel ſororis ex utroq; latere filios relinquat, hi patrem ſuum repræſentant, & in ſtirpem ſuccedunt, tantumque conſequuntur, quantum pater ipſorum, ſi ſupervixiſſet, conſequi potuiſſet. *d. auth. ceſſante §. ſi defunctus §. defunctus*

functus Nov. h. t. Quarta regula: Si defunctus fratrum filios diversi numeri relinquat, successio fit in capita & singuli æqualem portionem ferunt. *l. post consanguineos D. de suis & legit. hered.* Idq; Caroli Quarti Imperatoris constitutione comprobatum est. *In comitijs Spirensibus anno 92.* Quinta regula: Si defunctus relinquat ex fratre utrinq; conjuncto filium, itemq; patruum huic ille in successione præfertur. *auth. post. fratres cum ibi not. C. de legit. hered.* Sexta regula: Si defunctus neq; fratres utrinq; cognatos, neq; horum filios relinquat, successio fratribus sororibusvè ex uno eodemq; latere junctis defertur æqualiter nulla habita bonorum ratione & differentia. *auth. post fratres C. de legit. hered. §. si verò defunctus No. h. t.* Fratres verò illi vel ex uno patre sunt conjuncti, & dicuntur fratres consanguinei, vel ex una matre sunt cognati & appellantur fratres

uterini

uterini: Septima regula: Si defunctus relinquat fratres consanguineos & simul fratres uterinos, tunc in bonis, quæ defunctus à patre suo accepit, præferuntur consanguinei, & in bonis à matre perceptis potius jus habent uterini, sed in bonis aliunde quæsitis consanguinei & uterini simul admittuntur. *Dd. in d. auth. post fratres & in auth. itaq; C. Commun. de success.* Octava regula: Si defuncto sint fratres vel consanguinei vel uterini, & simul horum vel illorum filij hi cum illis jure repræsentationis succedunt, & consanguinei quidem in bonis paternis, uterini verò in bonis maternis. & utriq; in bonis à collaterali linea vel quocunq; alio modo adquisitis. *Dd. dict. locis.* Ceterum ultra fratrum filios distinctio bonorum paternorum & maternorum non attenditur. Unde nec patruus in bonis paternis, nec avunculus in bonis maternis prærogati-

gativam habet. Nona regula: Si defunctus fratres sororesvè ex uno latere vel horum filios & simul patruum vel amitam relinquat, illi his in successione præponuntur. *d. auth. post fratres cum ibi notat.* Decima regula: Si defunctus neq; fratres sororesvè utrinq; conjunctos neq; horum filios sed nec fratres sororesvè ex uno latere junctos eorumq; filios relinquat, proximiores quiq; cognati sine ulla cognationis, sexus vel bonorum differentia æqualiter in capita succedunt *d. auth. post fratres §. si verò neq; fratres No. h. t.* Undecima regula: Adoptivus frater adoptantis agnatis vel cognatis non succedit. *l. qui in adoptione D. de adopt. l. fin. §. & ideò sancimus C. eod.* Nisi ab aliquo ascendentium sit adoptatus. *§. sed hodie sup. de adopt.* Quo casu ad agnatorum collateralium successionem recipitur, sed à cognatorum hereditate repellitur *d. §. & ideò sancimus.*

Duo-

Duodecima regula: Fratres naturales per lineam maternam conjuncti sibi invicem non succedunt. §. *vulgo quæsitos* 1. *de succeß. cog.* Decima tertia regula: Fratres naturales per maternam lineam conjuncti sibi invicem succedunt, sive soli sint, sive cum fratribus naturalibus & legitimis ex eadem matre natis concurrant. *d.* §. *vulgo quæsitos & ibi Interpp.* Decima quarta regula: Fratres ex nefario & damnato complexu nati successionis alicujus haud sunt capaces. *d. auth. ex complexu.* Decima quinta regula: Si descendentes, ascendentes & collaterales deficiant, vir & uxor, per bonornm possessionem Unde vir & uxor, quam superstes maritus intra centum dies utiles agnoscere & petere tenetur ad successionem prætoriam admittuntur. *l.* 1. *& tot. tit.* D. *&* C. *unde vir & uxor.* Decima sexta regula: Si matrimonium sit sine dote vel donatione propter nu-

ptias & conjunx præmoriens locuples, sed superstes sit pauper & inops, succedit supervivens unà cum liberis communibus alteriusvè matrimonij in quartam, si sint tres vel pauciores filij, vel in virilem portionem, si plures extent liberi. *auth. quia verò Nov. ut. lic. matr. & aviæ auth. præterea C. unde vir & uxor.* Successio vero fit tantum in usumfructum, & proprietas liberis reservatur. Verum si liberi nulli sint, superstes conjunx proprietatem quoq; consequitur, & imputatur in portionem illam, si quid superviventi conjugi per legatum similemvè modum sit relictum. *d. auth. præterea.* Decima septima regula: Si neq; cognati neque conjunx supersit, & defunctus collegij liciti & à jure approbati collega fuerit, collegium illi succedit. *l. 1. & seq. C. de hered. decur.* Decima octava regula: Hisce omnibus deficientibus fisco locus datur. Nam Fiscus

Prin-

Principis & est & esse debet post omnes. *Caßiodor. variar. VI. formul. VIII.* Qua ratione etjam Doctor vel Scholaris, qui sine herede decedit, Academiæ fiscum habet successorem. *l. 2. ibi Angel. de bon. vacantib. lib. 10.*

De Legitima agnatorum successione.

Tit. II.

Lege XII. tabularum potior ratio & conditio fuit agnatorum, qui cognatis in successione præferuntur. Verum hæc distinctio & prærogativa pòst est sublata, uti diximus titulo præcedenti in ordine succedendi inter collaterales.

De Senatusconsulto Tertulliano.

Tit. III.

Quamvis lex XII. tabularum matrem ab hereditate liberorum excludat, cum neq; agnationis, neque pote-

potestatis, neque familiæ nexu & vinculo filijs juncta sit, tamen initio per prætorem & pòst Senatusconsulto Tertulliano matri in aliquo succursum & pars quædam successionis attributa, denique novissimis Imperatorum constitutionibus illo, quem primo titulo indicavimus, modo plenissime consultum est. Illud hoc loco notandum, quod mater secundò nubens in bonis filiorum à patre profectis non nisi usumfructum consequatur, in ceteris plenam proprietatem adipiscatur. *Nov. 22.* Sed & observandum est, matrem secunda vota appetentem & ineuntem marito suo aliquid amplius, quam uni liberorum attribuit, nullo jure nullavè ratione rectè relinquere. *l. hac edictali C. de sec. nupt.*

De Senatusconsulto Orphitiano. Tit. IV.

Matri lege XII tabularum liberi

beri non ſuccedebant, ſed Senatusconſulto Orphiciano ad ſucceſsionem admittebantur. Verum hæc in melius reformata ſunt, uti oſtendimus titulo primo.

De Succeſsione Cognatorum.

Tit. V.

Etſi jure veteri in ſucceſsionis negocio diſcrimen fuit inter agnatos & cognatos, tamen procedente tempore differentia illa eſt ſublata, & cum agnatis cognati pari jure ſuccedunt, uti diximus titulo primo.

De Gradibus Cognationis.

Tit. VI.

De gradibus aliquid diximus ſupra titulo decimo libri primi. Eſt verò gradus vel aſcendentium vel deſcendentium vel tranſverſalium. §. 1. *h. t. l.* 1. *&* *l.* 10. *D. de gradibus & adfinib.* Primus parentum eſt, alter li-

berorum, tertius fratrum & sororum & eorum, qui ex istis nascuntur. In primo gradu est supra, pater, mater, infra, filius, filia. Secundo gradu supra avus, avia, infra, nepos neptis, ex transverso frater soror. Tertio gradu supra proavus proavia, infra, pronepos proneptis, ex transverso fratris sororisq; filius & filia, patruus, amita, avunculus, matertera. Quarto gradu supra abavus abavia, infra, abnepos abneptis, ex transverso fratris sororisq; nepos neptisvè, patruus magnus, amita magna, avunculus magnus, matertera magna, patruelis, consobrinus, consobrina, amitinus amitina. Quinto gradu supra atavus, atavia, infra adnepos adneptis, ex transverso fratris sororisque pronepos, proneptis, propatruus, proamita, proavunculus promatertera, fratris vel sororis patruelis, consobrini & consobrinæ, amitini & amitinæ filius filiavè, propior

sobri-

ſobrino, proprior ſobrina. Qui ſunt patrui magni, amitæ magnæ, avunculi magni, & materteræ magnæ, filius filiæ. Sexto gradu ſunt, ſupra, tritavus tritavia, infra, trinepos, trineptis, ex tranſverſo fratris ſororisq; abnepos abneptis, abpatruus, abamita, abavunculus, abmatertera. fratris & ſororis patruelis, conſobrini conſobrinæ, amitini amitinæ nepos neptis. propatrui, proamitæ, proavunculi, promaterteræ filius filia. ſobrini ſobrinæ, ex fratribus vel ſororibus patruelibus conſobrinis vel amitinis progeniti & progenitæ. Et ſic deinceps.

De Succeſſione libertorum.

Titulus VII.

Lege XII. tabularum patronus ſuccedebat liberto, ſi iſte non relinqueret liberos & ſuos heredes, & poterat libertus teſtamento facto patronum præterire. §. 1. h. t. Jure Prætorio

torio semis bonorum liberti debetur patrono tam ex testati quam intestati causa, nisi fortè libertus liberos relinquat, qui præ patrono succedunt patri suo. §.2. *h.t. l.1. de bon. libert.* Lege Papia liberto, qui unum vel duos filios superstites habebat, & centum millium sestertiorum patrimonium relinquebat; patronus in partem virilem succedebat; si vero plures filij in vivis essent, patronus nihil capiebat, §. 3. *h. t.* Justinianeo jure liberto vel libertæ minus centum aureis habenti patronum testamento condito præterire licet; sed & in successione ab intestato filij liberti patronum excludunt; deficientibus verò filijs patronus admittitur. §. 4. & §. 5. *h. t.* At liberto libertævè centum aureos vel plus in patrimonio habenti, filij, si quos habet, tam ex testamento quam ab intestato succedunt, & patronus excluditur, sed si libertus liberos nullos habeat,

patro-

patronus illi ex causa intestati solus, ex causa testati in tertiam bonorum partem succedit, quam ipse, nisi illam libertus in testamento reliquerit, bonorum possessione contra tabulas liberti obtinere potest. Et hoc jus non soli patrono, sed & istius liberis, agnatis & cognatis datum est. Præter hoc, quod patronus in bonis liberti jus succedendi habet, tenetur quoq; libertus patrono ad operas tam in ministerio quam artificio consistentes, *l. 1. & tot. tit. D. de operis libert.* Sed & patroni personam semper honestam & sanctam habere debet, *l. liberto D. de obseq. à libert.* &, si quæ lis ipsi cum patrono suboriatur, actionem in factum verbis temperatam instituere & proponere, *l. honori l. parens. D. de obseq. parent. vel patr.* sed & pro modo facultatum patronum alere debet. *l. si quis à liberis §. solent. D. de liber. agnosc.* deniq; libertus ob ingratitudinem à patrono

in

in servitutem jure revocatur. §. *illud verò Novell. ut liber. de uter. &c.* Ad hujus juris patronatus exemplum, jus patronatus ecclesiasticum est introductum, quod est potestas præsentandi instituendum ad beneficium ecclesiasticum, competens illi, qui Ecclesiam vel Academiam erigit, construit, fundat vel dotat. Unde intelligendum est, patronos tantum esse, qui jura & privilegia Ecclesijs & Academijs conferunt, sarta tecta servant, fovent & propagant. *c. 1. & seqq. cum ibi notat. extr. de jure patron.* Et hi soli patronorum nomine digni sunt.

De Assignatione libertorum.

Titulus VIII.

Quamvis ad patroni heredes omnes ac singulos libertus pro indiviso pertineat, tamen potest patronus libertum uni liberorum cujus-

cujuscunq; ſexus vel gradus, dummodo in poteſtate patroni ſit, aſsignare, penes quem permanet, quoad linea illa durat, qua tandem deficiente libertus ad ceteros heredes redit.

De Bonorum poſſeſſionibus.
Titulus IX.

Secundus per univerſitatem rerum dominium acquirendi modus eſt, BONORUM POSSESSIO, quæ inſtar hereditatis ſe habet, & à Prætore juris civilis velut rigidioris corrigendi & ſupplendi cauſa introducta eſt. Nam v. g. cum jus civile emancipatos & cognatos non agnoſceret, Prætor utrosq; admittit, &, illos per bonorum poſſeſsionem, UNDE LIBERI, *l.1.& tot.tit.D.unde liber.* hos per bonorum poſſeſsionem, UNDE COGNATI, vocat. *l. 1. & ſeqq. D. unde cognat.* Quinimo prætor eas quoq; hereditates; quæ jure civili deferuntur, confirmat,

firmat, datis bonorum possessionibus UNDE LIBERI & similibus, Est autem bonorum possessio jus persequendi retinendiq; patrimonij, quod cujusq; cum moritur, fuit. *l.* 3. § 2. *D. h. t.* Et vel ex testamento vel ab intestato defertur. §. 1. *h. t.* Ex bonorum possessionibus ratione testamenti competentibus, bonorum possessio contra tabulas, quæ liberis præteritis, id est, neq; institutis, neq; ut oportet exheredatis datur, prima numeratur ordine æquissimo. §. 3. *h. t. l.* 1. *& tot. tit. D. de bonorum poss. contra tab.* Voluit enim Prætor ante ad liberos præteritos bonorum possessionem contra tabulas pertinere, quam judicium defuncti sequeretur. Secunda edicti pars est de bonorum possessione Secundum tabulas, qua omnibus jure scriptis heredibus consulitur. *l.* 1. *de bonor. possess. sec. tab. d.* §. 3. Ex bonorum possessionibus ab intestato prima numera-

meratur Unde Liberi qua omnes liberi ab intestato vocantur. *d. §. 3. l. 1. & seqq. D. si tabul. testam. nullæ extab. unde liberi.* Secunda unde legitimi qua consanguinei cognati, Patroni ad hereditatem legitimam invitantur. *l. 1. & tot. tit. D. unde legit.* Tertia est, Unde decem personæ, quæ decem his personis, patri, matri, avo, aviæ, filio, filiæ, nepoti, nepti, fratri, sorori datur, ad ejus successionem obtinendam, qui ab extraneo manumissore libertatem consecutus erat, extraneo manumissore excluso, *d. §. 3.* Erat extraneus manumissor, qui liberos emancipatos, hoc est, sibi venditos manumittebat. Quarta Unde Cognati dicitur, qua post legitimos cognati ad successionem vocantur. *l. 1. & seqq. D. unde cognat.* Quinta dicitur Tanquam ex Familia, qua agnatis patroni ad obtinendam liberti intestati successionem subvenitur, mortuo scilicet

jam

jam ante patrono. *Ulpian. in fragment. tit. 28. & d. §. 3.* Sexta est, qua patrono & patronæ & horum liberis ac parentibus consulitur. *d. tit. 28. d. §. 3.* Septima viro & uxori hereditatem defert, & Unde Vir & Uxor dicitur. *d. §. 3. l. 1. D. & C. unde vir & uxor.* Octava cognatis manumissoris prospicit. *d. §. 3.* Duæ illæ ex testamento competentes bonorum possessiones. Secundum & contra tabulas dictæ in usu permanserunt. Octo autem illæ ex intestati causa propositæ bonorum possessiones ad quatuor redactæ sunt, ceteris, puta, tertia, quinta, sexta & octava omnino sublatis. Ad bonorum possessionem agnoscendam liberis vel parentibus annus datur, ceteris centum dies, qui & utiles sunt, hoc est, scienti tantum currunt. *§. fin. h. t.*

De Acquisitione per arrogationem.
Titulus X.

Ter-

Tertius per universitatem rerum dominium acquirendi modus est ex causa & usu civili, hoc est, prudentum interpretatione sive ex eo jure, quod consensu receptum est, quo arrogator arrogato succedit pleno jure.

De eo cui libertatis causa bona addicuntur.

Titulus XI.

Quartus & ultimus res universas acquirendi modus ex D. Marci constitutione manavit, qua ij, quibus libertas, in testamento destituto adscripta est, sibi bona defuncti addici petunt libertatum conservandarum causa, quæ perituræ erant, nemine hereditatem adeunte.

De Successionibus sublatis, quæ fiebant per bonorum venditiones, & ex Senatusconsulto Claudiano.

Titulus XII.

Hoc

Hoc titulo proponuntur, casus duo, quibus olim rerum dominia per universitatem acquirebantur, à Theophilo & Antonio Contio *disp. 1. c. 12.* & Jacobo Cujacio in notis prioribus & posterioribus explicati.

De Obligationibus.

Titulus XIII.

Rebus incorporalibus obligationem Imperator annumerat. Obligatio est juris vinculum, hoc est, jus vinciens, sive jus, quo vincimur, & ut Imperator loquitur, quo necessitate astringimur alicujus rei solvendæ secundum nostræ civitatis jura. *§. 1. h. t.* Definitio hæc est obligationis ejus, ex qua actio efficax oritur & exactio. Proinde obligatio naturalis, quæ exceptionem tantum parit, vel etiam obligatio merè civilis, quæ nudam tantum actionem non exactionem gignit, in hanc definitionem non cadunt, *l. 1. l. juris gentium*

D. de

D. de pact. Summa obligationum divisio hæc est, quod aut civiles sint aut Prætoriæ. *d.* §. *1.* Civiles sunt, quæ aut legibus constitutæ sunt, aut certè jure civili comprobatæ. *d.* §. *1.* Prætoriæ dicuntur, quas Prætor ex sua jurisdictione constituit *d* §. *1.* Sequens obligationum divisio in quatuor species deducitur. §. *2. h. t.* Vel enim ex contractu sunt, aut ex quasi contractu, vel ex maleficio aut quasi ex maleficio. Ad contractuum autem tractatum melius intelligendum tenendum est. Conventionis nomen generale esse, & in duas species Contractum scilicet & Pactum abire: *d. l.* 1. *de pact.* Pactum est duorum plurimumvè in idem placitum consensus, *l.* 1. § 1. ex quo jure civili nulla datur actio, puta, si inter duos conveniat, Dabo tibi decem, ut à lite discedas. *d. l. jurisgentium.* Contractus est conventio cum causa. Contractus vel certus sive nominatus vel incer-

tus ſive innominatus eſt. *l. certi condictio D. de reb credit.* Contractus Incertus eſt, qui nomen legitimum non habet, ſed tamen cauſa, hoc eſt, datione vel facto haud caret. *l. 1. D. de præſc. verb.* Inde fit,ut ex eo etiam non detur actio certo & legitimo nomine prodita. Hujuſmodi eſt contractus, Do ut des, veluti, do tibi ſciphum, ut des librum. *l. 5. D. d. t.* Item, contractus,do ut facias, puta, do tibi decem, ut Lubecam eas. Item, contractus, facio ut facias, veluti, commodo tibi equum, ut mihi tuum equum commodes. Item, contractus, facio, ut des, veluti, patrocinium cauſæ tuæ ſuſcipio, ut mihi decem des. Datur ex his contractibus Actio, quæ Præſcriptis Verbis dicitur, *l. 2. D. d. t.* niſi quod ex contractu facio,ut des, actio de dolo competat. *l. 5. §. 3. D. d. t.* Dicitur verò, his contractibus cauſam ſubeſſe, hoc eſt, datio vel factum. *l. 4. l. 5. D. d. t.* Nec enim hi contractus,

niſi

nisi ab alterutra parte vel datum aliquid vel factum sit, perficiuntur. Contractus Certus est, qui nomen legitimum habet, & ex quo certa & legitimo nomine prodita actio datur, quales sunt contractus, qui Re, Literis, Verbis, vel Consensu perficiuntur. *d. l. 1.*

Quibus modis re contrahitur obligatio.

Titulus XIV.

Re contrahuntur Mutuum, Indebitum, Commodatum, Depositum, Pignus. Mutuum est contractus quantitatis, hoc est, ejus rei, quæ pondere, numero vel mensura constat, ea lege datæ, ut ea ipsa quantitas reddatur in genere non in specie eadem. *l. 2. §. 2. D. de reb. credit.* Ex qua definitione requisita pleraq; hujus contractus eliciuntur. Primum enim in Mutuo requiritur, ut dans dominus sit. *d. §. 2.* Deinde, ut dominium illud in acci-

pientem transferat. *d.* §. 2. Est enim mutuum inde dictum, quod de meo tuum fiat. Tertio, ut quantitas, hoc est, ejusmodi res, quæ numero, ut pecunia, vel mensura, ut vinum, frumentum, vel pondere, ut oleum, constat, detur. §. 2. §. 1. *h. t.* Quarto ut res, quæ mutuo data est reddatur ejusdem bonitatis & qualitatis. *l.* 3. *D. d. t. d.* §. 1. Quinto, ut res mutuo data non in specie sed in genere reddatur, puta, pro pecunia data alia pecunia, pro frumento dato aliud frumentum &c. *l.* 2. *in pr. D. d. t.* Mutuarius non tantum dolum & culpam omnem sed & casum fortuitum præstat. *l.* 5. *D. d. t.* §. 3. *hoc t.* Cum enim Dominus rei mutuo datæ effectus sit, sequens est, ipsi tanquam domino rem perire. Datur ex mutuo certi condictio, qua quod mutuò datum est, repetitur. *l. certi D. d. t. d.* §. 1. Indebitum est, quod quis per errorem facti, ignorans se non debere, solvit.

§. 2.

§. 2. h. t. Etsi autem hoc negocij genus potius distractus esse videtur, tamen quia inter solventem & accipientem aliquid agitur, contractibus illud annumerare visum est. *d. §. 2. l. 1. & tot. tit. D. & C. de condit. indeb.* Datur ex hoc contractu condictio indebiti, ad id, quod indebitè & falso solutum est, repetendum: Commodatum est contractus, quo res gratis utenda datur ad finē tempus modumve certum *§. 3. h. t. l. 13. §. 3. D. Commod.* In hoc contractu neq; dominium neq; possessio transfertur, sed rei tantum usus conceditur, *l. 8. D. commod.* quo fit, ut commodatarius de casu fortuito non teneatur, sed tantum dolum & culpam præstet omnem. *d. §. 3. l. contractus D. de reg. juris.* Datur ex hoc contractu commodanti actio commodati directa ad rem commodato datam repetendam. *l. 17. l. 18. D. d. t.* Commodatario vero datur actio contraria ad id, quod in rem commodato

datam impendit, recipiendum. *d. l. 18.* Depositum est contractus, quo res gratis custodienda datur sub fide restituendi, *l. 1. in pr. D. deposit.* In hoc contractu æque ut in præcedenti, neq; dominium, neq; possessio transfertur. Quo etiam fit, ut depositarius de casu fortuito non obligetur, imò nec de culpa levi vel levissima, sed de solo dolo & lata culpa teneatur, quia scilicet depositum solius deponentis causa contrahitur, ut depositarium de qualibet causa teneri iniquum sit. *d. l. contractus.* Oritur ex hoc contractu actio directa & contraria. *l. 1. & seq. D. & C. deposit.* Illa datur depositori ad depositum repetendum: hæc depositario ad id, quod impendit, recuperandum. Pignus est contractus, quo quid deponitur ad alterius alicujus obligationis fidem, & rei, quæ debetur, ad implendæ vinculum. *l. legata in fin. D. de sup. leg.* In hoc contractu dominium penes debitorem

rem

rem manet, possessio autem ad creditorem transit, *l. res pignori D. de acquir: vel amittend. possess.* & quia pignus utriusq; gratia datur & debitoris, quo magis ei pecunia credatur, & creditoris, quo magis ei in tuto sit creditum, inde fit, ut teneatur creditor ex hoc contractu ob dolum latam & levem non vero ob levissimam culpam. §.*1.h.t.* Quoties enim utriusq; contrahentium utilitas in aliquo negotio versatur, tùm de levi tantùm non etiam levissima culpa contrahentes teneri receptum est. Datur ex pignoris contractu actio pignoraticia directa & contraria. *l.* 1. *& tot. tit. D. & C. de pignor. act.* Illa debitori, ut sorte soluta pignus repetat, hæc creditori, ut si quid in pignus impendit, id consequatur.

De Verborum obligationibus.

Titulus XV.

Verbis contrahitur obligatio per

ſtipulationem. *l. 1. §. verbis D. de ob. & act. l.* 1. *& tot. tit. D. & C. de V. O. §.* 1. *h.t.* Stipulatio eſt contractus juris civilis. Conſtans ex interrogatione & re-ſponſione idoneis ad id verbis con-cepta *d. §. 1. h. t.* Stipulationis requiſi-ta ſunt verba, quæ olim ſolemnia eſſe oportebat, puta, ſpondes, ſpondeo §. 2. *h. t.* Sed hodie ſenſus & conſo-nans intellectus verbis idoneis ex-preſſus ab utraq; parte ſolum requiri-tur. *d. §. 1. d. §. verbis.* Deinde neceſſe eſt ut interrogatio præcedat, & ſub-ſequatur reſponſio. Tertio, ut hæc reſponſio interrogationi ſit congrua, *l. 1. §. 3. & 4. D. h. t.* Proinde ſi tibi de-cem ſtipulanti quinq; promiſero, nihil actum eſt. *d. §. h. t.* Quarto oportet ut inter præſentes ſtipula-tio concipiatur. *d. l. 1. cir. pr. D. h. t.* Quinto, ut ſibi quis, non alteri ſtipu-letur, §. 3. *I. de inutil. ſtipul. l ſtipulatio* 38. *§. alteri D. h. t.* licet filius patri propter juris civilis fictionem, qua vox filij

vox

vox patris esse censetur, recte stipuletur *d.* §. 3. sic servus domino recte stipulatur §. 1. *l. de stipul. servor.* stipulatio autem vel pure, vel in diem vel sub conditione fit §. 3. *h. t.* PURE: veluti quinq; aureos dare spondes *l. cedere diem* D. *de V. N. ver. oblig. d.* §. 3. Quo casu confestim peti possunt, quia dies obligationis cessit & venit, hoc est, id, quod in obligationem deductum est, non tantum debetur, sed & exigi potest. IN DIEM, veluti; Decem aureos primis Calendis Martijs dare spondes? *d.* §. 3. Quo casu dies quidem cessit, hoc est, id, quod in obligationem deductum est; debetur, sed tamen dies nondum venit, hoc est, id, quod debetur, non nisi die adveniente exigi potest. *d. l. cedere diem.* SUB CONDITIONE, veluti, Cum navis ex Asia venerit. Quo casu neq; cessit neq; venit dies, hoc est, id quod in obligationem deductum est ne quidem debetur, multo minus exigi po-

test. *d. l. cedere diem.* Datur ex stipulatione condictio certi, si res certa in stipulationem deducta sit, vel actio ex stipulatu, si res incerta in stipulationem venerit *d. §. 1. h. t.*

De Duobus reis stipulandi & promittendi.

Titulus XVI.

Non solum unus ex stipulatione obligatur, sed & duo pluresvè rei ex stipulatione fieri possunt. *§. 1. h. t. & t. t. D. & C. eod.* Qui ab uno vel à plurib. ex uno eodemq; contractu eandem rem suo nomine in solidum stipulati sunt hi rei stipulandi dicuntur. Qui vero ita stipulanti eandem rem singuli in solidum promittunt, hi appellantur rei promittendi. *d. §. 1.* Ac quamvis jure veteri in solidum tenebantur, etsi vice mutua non fidejussissent, tamen novissimo jure in solidum non obligantur, nisi id nominatim actum sit. *Novell. 99. auth. hoc ita C. h. t.* Quin etiam

etiam divisionis beneficium habent duo pluresvè rei, si omnes præsentes & solvendo sint. Hoc amplius solutione per unum facta, ceteri liberantur *l. 2. & l. seq. §. fin. h. t.* deniq; non in solo verborum contractu sed & in ceteris conventionibus, puta commodato, deposito, emptione & similibus duo pluresvè rei constitui possunt. *l. eundem D. h. t.*

De stipulatione servorum.
Titulus XVII.

Etsi servi habentur pro mortuis, *l. servitutem. D. de reg. jur.* imò pro nullis, *l. quod attinet d. t.* tamen ex dominorum persona caput & personam habere censentur, *l. non unus D. de hered. institu.* adeoq; jure stipulantur. Sivè autem Domino, sive sibi, sive conservis suis sive impersonaliter stipulentur, semper domino acquirunt. *l. quodcunq; D. de verborum obligat.* Quod si servus communis qui sic

omnium est non quasi singulorum totus, sed pro partibus utiq; indivisis, ut intellectu magis partes habeant quam corpore aliquid stipuletur, id omnibus adquirit pro ea parte, qua dominium in illum habent. *l. servus communis D. h. t.* nisi fortè servus uni dominorum nominatim stipuletur, *§. fin. h. t. d. l. servus h. t.* vel uni dominorum jubenti stipuletur, *l. 6. 1. D. de adquir. hered. d. l. servus.* vel deniq; rem stipuletur cujus unus tantum dominus capax sit. *l. proinde §. final. cum leg. seqq. D. h. t.*

De Divisione stipulationum.

Titulus XVIII.

Stipulationum aliæ sunt faciendi aliæ dandi, aliæ item dividuæ, aliæ individuæ, *l. 2. D. de verbor. oblig.* aliæ porrò certæ, aliæ incertæ, aliæ præterea judiciales, aliæ Prætoriæ, aliæ conventiales, aliæ communes *l. stipulatio-*

lationum quædam l. 4. D. d. t. l. 6. C. eodem. In dando stipulationes consistunt, si stipulemur decem dari, iter, actum, viam, hominem vel quid simile dari. In faciendo itemq; in non faciendo stipulationes sunt quando stipulamur, per aliquem non fieri, ne itinere actu via, & simili re utamur. Dividuæ sunt, in quibus res deducuntur quæ dividi possunt. *d. l. 2.* Individuæ rerum earum appellantur, quæ divisionem non recipiunt. Certæ sunt, in quibus certum aliquid deducitur. Incertæ, in quibus incertum aliquid venit. Judiciales sunt, quæ à mero judicis officio sive à judice per prætorem dato petuntur & dimanant, velut de dolo cautio, vel de persequendo servo. §. 1. *h. t.* Prætoriæ, quæ ab ipso prætore sive prætore jubente sive ex edicto prætoris veniunt, veluti cautio damni infecti. Conventionales sunt, quæ consensu partium sine judicis vel prætoris autorita-

toritate concipiuntur. Communes ſunt, quæ à jurisdictione Prætoris vel ædilium dependent, & interdum officio judicis interponuntur. Cujusmodi eſt ſtipulatio: Rem pupilli ſalvam fore, quæ Prætoria dicitur, *l. 1. D. de præt. ſtip.* & etiam officio judicis interponi ſolet, *Teophil. hic* ſed & cautio de rato huc referenda eſt. *§. 1. in fin. h. t.*

De Inutilibus ſtipulationibus.
Titulus XIX.

Stipulationes inutiles dicuntur, quæ vel natura, vel lege ſive jure impoſsibiles ſunt. Illæ ſunt earum rerum vel factorum, quæ in rebus nec ſunt nec eſſe poſſunt, puta, Hippocentaurum dari, ſtichum qui mortuus eſt, dari, Cœlum conſcendere, uno die hinc Romam pervenire, *§. 1. h. t.* adulterium furtum, homicidium, lenocinium perpetrare. *l. probrum D. de verb. ſig. l. filius. D. de condic. inſtit. l. 5. C. de con-*

de condict. ob turp. caus. Lege vel Jure stipulationes impoſsibiles dicuntur, quandò res ſacra, ſancta, religioſa, publica, municipalis vel ſimilis in ſtipulationem venit. §. *1. h. t.* Inutilis inſuper ſtipulatio eſt, ſi quis rem ſuam ſtipuletur, ſi item alij ſtipuletur, §. *quod ſi quis* 5. §. 3. *h. t.* ſi alium aliquid daturum facturumvè, nudè ſpondeat, nec inſuper dicat, ſe id, effecturum eſſe, §. *3. h. t.* ſi porro ad ea, quæ interrogantur, congrue non reſpondeatur, ſed decem ſtipulanti quinq; promittantur, §. *præterea h. t.* ſi ſtipulatio inter abſentes concepta ſit §. *item verborum obligatio. h. t.* ſi in corpore vel re, quæ in ſtipulationem deducitur, erretur. §. *ſi de alia re. h. t.* Ceterum hic obiter virtus & poteſtas regulæ Catonianæ obſervanda eſt, cujus duo ſunt membra. Prius eſt: quod ea quæ ab initio non conſtiterunt, tractu temporis non convaleſcant, *l. 1. D. de regul. Caton. l. quod initio D. de regul.*

regul. jur. Posterius est: quod ea quæ semel utiliter constituta sunt, corruant, si in eum casum, à quo incipere non possunt, devenerint. §. *item contra* 2. *h. t. l. existimo. l. pluribus* §. *& si placeat. D. de verb. obligat.* Quod posterius axioma cum multas recipiat limitationes; indè contigit, quod regula juris velut in contrarium facta sit, quæ habet: novum non est, ut quæ semel utiliter constituta sunt, durent, etsi in illum casum devenerint, à quo incipere non possunt *l. in ambiguis* §. 1. *D. de reg. jur.* Ad extremum, quia & stipulationes & alij contractus sæpenumero in instrumenta redigi solent, sciendum est, quicquid in instrumentis dictum scriptumq; est, id solemniter factum & peractum censeri. §. *si scriptum h. t. l. sciendum D. de verbor. obligat.*

De Fidejussoribus.

Titulus XX.

Ex

Ex ſtipulatione promiſſor tenetur ad id, quod in ſtipulationem deductum eſt, præſtandum. Quæ promiſſio ut magis in tuto ſit, ſolent fidejuſſores dari & accipi, §. *1. h. t.* & contractui ſtipulationis, alijsq; conventionibus adjici. §. *2. h. t. l.* 1. *D. eod.* Fidejuſſores ſunt, qui ſuo periculo id quod agitur, dari, fierivè jubent. *tit. noſtro. & tit. D. & C. eodem.* Aſſumuntur illi in omnibus obligationibus ſive re, ſive verbis, ſive literis ſive conſenſu negocium contractum ſit. *d. l. 1. & l. ſeq. D. h. t.* Sed nec refert, utrum obligationes, quibus fidejuſſores accedunt, civiles an naturales ſint *d.* §. *2.* Neq; obſtat, quod fidejuſſores, qui naturali obligationi accedunt, in plus obligentur, quàm ipſe Principalis, contra regulam juris, quæ Fidejuſſores ita obligari non permittit, ut plus debeant, quam ipſe principalis. §. 5. *h. t.* Quia prædicto caſu Fidejuſſores arctius tantum obligantur, ut ſcili-

scilicet, quæ in ipsum principalem ex naturali obligatione non competebat, actio, ea in fidejussorem stipulatione interveniente, detur. Et tamen verum manet, fidejussorem in ampliorem summam non obligari, quia idem illud, quod principalis debebat, solvere cogitur. Fidejussoribus jure civili dantur tria beneficia. Primum beneficium est. Ordinis sive excussionis. §. 4. *h. t. auth. præsente C. eod.* Secundum beneficium est. Divisionis sive Epistolæ D. Hadriani, ut, si plures fidejussores existant, qui omnes solvendo sunt, singuli tantum in suam virilem portionem teneantur *d.* §. 4. *l. fin. C. de constit. pec.* Tertium beneficium est cedendarum actionum, quo fidejussores conventi, si debitum integrum solverint, non opposito beneficio divisionis, actiones à Creditore adversus confidejussores suos sibi cedi petunt ut eis cessis contra ipsos experiantur, & portio-

nem,

nem, quæ ab ipsis solvenda fuerat, repetant. *l. ut fidejussor. l. fidejussoribus* D. *h.t.* Datur adversus fidejussorem actio ex stipulatu, qua conventus id, quod in stipulationem deductum est, præstare tenetur. Ipsi verò fidejussori datur actio mandati adversus principalem debitorem, qua id, quod pro debitore solvit, repetat. §. *6. h. t.*

De Literarum obligationibus.
Titulus XXI.

Literis contrahitur obligatio, quandò quis spe futuræ numerationis, chirographo dato pecuniam se accepisse fatetur, quam non accepit. §. *1. h. t. l.* 1. *& tot. tit.* C. *de except. non num. pec.* Si enim intra biennium chirographum non repetierit, vel sibi pecuniam numerari postulaverit, tunc elapso biennio amplius non auditur, sed æquè, ac si pecunia numerata esset, obligatur, & ad pecuniæ satisfactionem tenetur actione, quæ dicitur condictio ex lege.

De Obligationibus ex consensu.
Titulus XXII.

Consensu contrahitur obligatio, quando sine ullo rei verborumq; solemnium vel literarum interventu negotium geritur, ut in emptione, locatione, societate, mandato & pignore; quod consensu contrahitur & hypotheca dici solet. *l. 1. D. de pignor. action.*

De Emptione & Venditione.
Titulus XXIII.

Emptio est contractus, quo res cum precio commutatur. *§. 1. h.t.* Perficitur emptio nudo consensu, simulatq; de re vendenda & rei vendendæ precio convenerit. Unde intelligitur, emptionis substantiam esse, consensum *l. 1. §. 2. D. h. t.* Rem *l. nuda D. d. t.* & Precium. *l. 2. §. 1. D. h. t. §. 2. hic.* Planè ea emptio, quæ scriptura interveniente contrahitur, non aliter

ter perfecta est, nisi & instrumenta emptionis fuerint conscripta manu contrahentium propria, vel ab alio quidem scripta, à contrahentibus autem subscripta. *l. contractus C. de fid. instrument.* §. *1. h. t.* Consensus nudus facit emptionem, quia simulatq; à contrahentibus consensum est, emptio perficitur, etsi neq; res tradita, neq; precium numeratum sit ac ne quidem arrha data fuerit. §. *1 h.t.* Verum tamen cum hic consensus ad rem tradendam & precium numerandum sese referat, hac ratione dicitur, Rem quoq; & precium de substantia emptionis esse. Rem intelligimus, quæ in commercio hominum sit vel esse posit. Proinde rei sacræ, sanctæ, religiosæ, liberi hominis nulla erit emptio. *l. 6. D. h. t.* §. *6. hic.* Precium dicimus in pecunia numerata consistens, idq; certum. §. *3. h. t.* Unde quæsitum fuit, si ita inter ementem & vendentem conveniat, ut

quan-

quanti Titius rem æstimaverit, tanti sit empta, Utrum precij definitio certa sit? Et Justinianus post veterum dubitationes ita demum emptionem valere sanxit, si is, qui nominatus est, hoc est in cujus arbitrium precij definitio collata est precium definierit, *d.* §. 3. contrahitur emptio vel pure vel in diem vel sub conditione. §. 5. *h. t.* Emptione & venditione contracta periculum rei venditæ statim ad emptorem pertinet, tametsi ea res emptori non sit tradita. §.4. *h. t.* Itaq; si ædes venditæ incendio consumptæ fuerint, emptoris damnum est, qui necesse habet, licet rem non fuerat nactus, precium solvere. *d.* §. 4. Dolum enim & culpam tantum venditor præstat, & si quid præterea damni evenerit, ad emptorem id pertinet, *l. contractus D. de reg. juris.* qui & rei sibi venditæ commodum sentit. Rescinditur venditio dissensu utriusq; contrahentis vel etiam alterutrius, si

emptio

emptio in scriptis contracta & res adhuc integra sit, hoc est, si solemnitas ad venditionem in scriptis contrahendam necessaria necdum adhibita & impleta sit. *l. 7. de pact.* Quod si tamen in emptione vel scriptura vel sine scriptura celebrata arrharum nomine aliquid sit datum, à contractu semel inito licitè quidem abitur, sed ita tamen, ut si is, qui arrhas dedit, emptionem adimplere recuset, arrhas amittat, sin vero, is qui, accepit, hoc est venditor arrhas duplatas restituat. *d. §. 1. h. t.* Ex contractu emptionis & venditionis duæ competunt actiones, Altera empti, qua emptor ad rei venditæ traditionem, vel id, quod interest, experitur. Altera venditi, quæ datur venditori ad precium petendum, vel id, quod interest, exigendum. *l. 1. & tot. tit. D. de actionib. empti. & vendit.* Deniq; emptio venditio ob læsionem supra dimidium justi precij factam jure rescinditur. *l. 2. C. de resc. vendit.*

De

De Locatione & conductione. *Titulus XXIV.*

Locatio conductio est contractus, quo utendum vel faciendum aliquid datur, *l. item si* §. 1. *D. h. t.* certa constituta mercede. §. *1. h. t.* Locator est, qui utendum vel faciendum aliquid dat. Conductor est, qui accipit. Verbi gratia, si tibi dem navim faciendam 100. aureorum mercede constituta, ego locator, tu conductor es. Habet hic contractus tantam cum emptione familiaritatem & similitudinem, ut ijsdem juris regulis consistere dicatur. §. *3. h. t.* Differunt tamen, quod in emptione id agatur, ut rei venditæ dominium ad emptorem transeat, rei locatæ dominium penes locantem maneat, *l. cum manu* § *fina. D. de contr. empt.* unde altera differentia resultat quod nimirum periculum & casus fortuitus rei venditæ ad emptorem spectet, rei locatæ

vero

vero ad locatorem pertineat. *l. contractus D. de reg. jur.* Locationis substantia Consistit in Consensu, Re & Mercede. Rem hoc loco generaliter accipimus, ut facta etiam comprehendamus, quemadmodum etiam mercedem non in pecunia tantum numerata, sed etiam in ea pecunia, quæ pondere vel mensura constat, intelligimus. *l. etsi C. de locat.* Datur ex hoc contractu actio Locati, qua locator vel ad rem, quam utendam dedit, repetendam, vel ad opus aliquod extruendum aut faciendum, vel ad id, quod interest, experitur. *§. 1. h. t.* Conductori autem datur actio Conducti ad rei locatæ usum consequendum, vel ad id, quod interest petendum. Locationi & conductioni adfinis est contractus emphyteuticus quo dominus prædij sui usumfructũ in aliũ transfert, ea lege, ut id melius & cultius reddat cõstituta

pensione certa. *§.3. h.t. l. 1. & tot. tit.* C. *de jure emphyt.*

De Societate.

Titulus XXV.

Societas est rei & inde lucri vel damni provenientis ex consensu & contractu habito facta Communio justa. *l.1. in fin. l. 3. D. h. t.* Coitur societas vel universorum bonorum, vel unius alicujus negotiationis aut rei, &, quemadmodum aliæ conventiones, ita maximè hæc ipsa ex pactionibus circa lucrum vel damnum interpositis legem accipit. *§. 1. h. t.* Proindè si convenerit, ut ad unum socium lucri tres, damni duæ partes, ad alterum damni partes tres, lucri duæ partes pertineant, rata erit Conventio. Quod si partes in utroq; speciatim non sint expressæ sed in damno tantum, idem id in lucro expressum censeri debet & vice versa

versa. *d.* §. 2. *h. t.* Planè si leonina sit pactio, puta, si Convenerit, ut ad unum omnes lucri partes pertineant, alter solus damnum sentiat, nihil actum est, quia societas debet esse Communio justa. *l. si non fuerint* §. *fin. D. h. t.* Ex hoc contractu actio pro socio resultat, quæ datur socio adversus socium ad id quod in societatis judicium venire solet, consequendum vel præstandum, & tenetur socio de dolo, culpa lata & levi §. *fin. h. t.* Finitur societas morte socij, §. 4. *h. t.* renunciatione tempestiva, & non fraudulenta, interitu, *l. verum in fin. D. h. t.* publicatione & cessione bonorum. *d.* §. 4.

De Mandato.

Titulus XXVI.

Mandatum est contractus, quo roganti fides datur procurandi aliquid sine mercede. §. 7. *h. t.* Gratui-

tum enim mandatum esse debet. Contrahitur mandatum vel solius mandantis, vel solius alterius, vel mandantis & mandatarij, vel mandantis & alicujus alterius vel deniq; mandatarij & tertij alicujus gratia. §. *1. h. t.* Mandantis gratia mandatum intervenit, si aliquis mandet, ut fundus ipsi ematur. Alterius gratia, si mandet, ut Titio fundus ematur. Mandantis & Mandatarij gratia, si mandet, ut pecuniam mandatarius sub usuris credat illi, qui pecuniam illam in rem mandantis mutuaturus sit. *d.*§. *1.* & §. *2. h. t.* Mandantis & tertij alicujus gratia, si mandet, ut negotia, quæ ipsi cum Titio communia sunt, mandatarius gerat. Deniq; mandatari & alicujus tertij gratia mandatum intervenit si mandet, ut mandatarius Titio sub usuris pecuniam credat. Quemadmodum verò mandatũ suscipere cuilibet liberum est, §. *6. h. t.* ita susceptum est consum-

ſummandum & implendum. Mandatum vel pure vel in diem vel ſub condicione fieri poteſt de quibuſcunq; rebus & factis legitimis. §. 7. *h. t.* nam contra leges vel bonos mores contrahi nequit. §. 3. *h. t.* Revocatur mandatum diſſenſu utriuſq;, vel etiam alterutrius, ſi res ſit integra, item morte naturali vel civili mandantis vel mandatarij, §. 5. *h. t.* Dantur ex mandato actiones duæ, Altera directa, quæ datur mandatori adverſus mandatarium, ut mandatum, ſuſceptum adimpleat & conſummet. *Servus meus D. h. t.* Altera contraria, quæ mandatario competit ad impenſarum, ſi quas fortè fecit, repetitionem.

De Obligationibus, Quæ Quaſi Ex Contractu Oriuntur.

Titulus XXVII.

Hactenus de obligationibus, quæ ex contractibus oriuntur. Nunc de ijs; quæ quaſi ex contractibus dantur.

Quarum prima est, quæ ex negociorum gestione proficiscitur, quando quis scilicet absentis negocia fideliter & bona fide gerit. *§. 1. h. t. l. 1. & tot. tit. D. & C. de negoc. gest.* Quo casu actiones nascuntur, Altera directa, domino rei gestæ adversus gestorem Competens ob dolum, culpam latam, levem, vel levissimam, altera contraria, quæ datur gestori adversus rei gestæ dominum ad impensas, si quas fecit, repetendas. Secunda est ex tutelæ administratione: Finita enim tutela datur pupillo adversus tutorem actio tutelæ directa ad id, quod vel utiliter prætermisit, vel inutiliter admisit, præstandū & resarciendū. *§. 2. h. t. l de creationib. C. de episcop. audient.* Tutori vero datur actio contraria, qua impēsas, quas durante tutela fecit repetit. *l. 1. D. de contrar. tutel.* Tertia obligationum ex quasi contractibus descendentium species est Rerū Cōmunio, quæ sine societate, hoc est tractatu nullo habito

per-

perficitur, puta, si duobus res eadem legetur. §. 3. *h. t.* Quarta species est hereditatis aditio. §. 4. *h. t.* Tenetur enim heres legatarijs ad rem legatam præstandam, perinde ac si cum ipsis contraxisset. Quinta species est Indebitum, quod etsi superius contractibus annumeratum est, tamen cum indebitum solventis voluntas ad contrahendam obligationem non sit directa quasi etiam contractibus id connumerari placuit. §. 5. *h. t.*

Per quas Personas nobis obligatio acquiritur.

Titulus XXVIII.

Acquiritur obligatio prædictis modis non tantum per nosmetipsos verum etiam per filios nostros, per servos, proprietate, usufructu vel usu nostros per homines liberos & servos alienos, quos bona fide possidemus. §. 1. *h. t.*

Quibus Modis tollitur obligatio.

Titulus XXIX.

Diſſolvitur obligatio ſolutione ejus, quod debetur. *§.1.h.t.* Eſt enim ſolutio, ejus rei quæ debetur per debitorem in creditorem vel alium, qui exigendi poteſtatem habet, facta abalienatio perfecta. Item per acceptilationem ſolvitur obligatio. *§.2.h.t.* Eſt autem acceptilatio imaginaria ſolutio. Verum, quia per hunc modum, qui ſola ſtipulatione perficiebatur, nulla alia obligatio, quam quæ & ipſa verbis conſtaret, tollebatur, Gallus Aquilius formam & rationem invenit, qua omnes omnino obligationes, ſive verbis, ſive re, ſive literis, ſive conſenſu contractæ in ſtipulationem, quæ ideo AQUILIANA ab authore Aquilio dicitur deducuntur, & deinceps per acceptilationem tolluntur, hoc modo; Quod mihi ex cauſa mutui, emptionis vel qua ſimili debes,

debes id nè, mihi te daturum Spondes? Spondeo. Et his verbis Aquiliana ſtipulatio conſtituitur, quæ per acceptilationem tollitur, hoc modo: Quod ex cauſa mutui, empti vel qua ſimili in ſtipulationem Aquilianam deductum tibi promiſi idne acceptum habes? habeo acceptumq; fero. Præterea Novatione tollitur obligatio. §. 3. *h. t.* Novatio fit quatuor modis: Primo, mutata cauſa vel ſtatu obligationis, ut ſi de te ſtipuler, quod mihi ex vel crediti vel donationis cauſa debes. *l. final.* C. *de novationib.* Et hæc propriè novatio eſt, ac ſine delegatione peragitur. Secundo novatio fit mutata perſona creditoris, ut ſi quod tibi debeo, ex delegatione tua alij non creditori tuo permittam. *l. 1.* C. *d. t.* Tertio novatio fit mutata perſona debitoris, ut ſi, quod tibi debeo ex delegatione mea, ſtipuleris ab alio non debitore meo ultro ſuſcipiente nomen meum Quarto nova-

tio fit, mutata persona tam creditoris quam debitoris, ut si debitorem meum tibi creditori meo delegavero, qui tibi promittat, quod debeo. Et hoc casu propriè delegatio fit. Ex quibus intelligitur, novationem esse mutationem debitoris vel creditoris vel causæ debendi, Delegationem vero debitoris vel creditoris simul mutationem esse. Sunt vero hæ species quatuor novationis voluntariæ à qua differt novatio necessaria quæ per litis contestationem in judicio fit. Deniq; novatio hodie non fit nisi id nominatim agatur ceterum hisce modis obligatio ipso jure tollitur. §. *4. h. t. l. fin.* C. *de novationib.* Sunt alij modi, quibus ope exceptionis obligatio perrimitur, ut Pactum Transactio, Jusjurandum, & similia.

Finis libri Tertij Institut.

LIBER QUARTUS.

DE OBLIGATIONIBUS QUAE EX DELICTO NASCUNTUR.

Titulus I.

SEquntur nunc obligationes, quæ ex maleficio vel quasi maleficio proficiſcuntur, puta, ex furto, rapina, damno injuria dato, & injuria ſive contumelia. Furtum à ferendo, id eſt, auferendo nomen habet. Et eſt furtum contrectatio rei fraudulosa lucri faciendi gratia, vel ipſius rei, vel etiam uſus ejus, poſſeſſionisvè, quod lege naturali

prohibitum est admittere. §. *1. h. t. l. verum D. eod.* Rem intelligimus mobilem res enim immobilis loco moveri & contrectari non potest. Et quidem rei mobilis furtum fit vel in ipsa proprietate vel in usufructu, vel in usu vel in possessione. Proprietatis rei furtum fit, quando ipse usufructuarius re sibi in usumfructum concessa invito domino fraudulenter utiturfruitur, eamq; sui dominij facere conatur, Sic furtum proprietatis fit, si creditor pignus contrectet & sibi acquirere vel in alium alienare tentet. §.*6.h.t.* Ususfructus furtum fit, quando proprietarius rem in usumfructum datam contrectat. *l. arborib.* §. *5. D. de usufr.* Usus rei furtum fit, si exempli gratia commodatario invito res, quam utendam accepit auferatur, §. *6. h. t.* vel etiam si ipse, commodatarius rem sibi utendam datam alij commodet. *l. si pignore* §. *1. h. t.* §. *6. h. t.* Possessionis furtum fit, si vel ipse dominus vel ter-

tertius aliquis bonæ fidei possessori rem subtrahat. *l. cum æs §. 1. D. h. t.* Quinimò contingit quandoq; ut tam ususfructus quam proprietatis rei furtum committatur, puta, si quis rem in usumfructum alteri concessam auferat. *l. inter omnes §. si servus D. de furt.* usu fructuario enim tenetur pœna furti propter usumfructum interversum, Proprietario propter proprietatem ablatam. Furtum vel manifestum est, vel nec manifestum. Illud lege duodecim tabularum capitale erat, & pro temporis vel personarum conditione morte vel naturali vel civili puniebatur, hoc pœna dupli coercebatur. *Theophil. infra de temp. & perpet. act. Gell. lib. 11. cap. ult.* Et licet postea Prætores legis duodecim tabularum in furto manifesto coercendo duritiem mitigarint, & pœnam quadrupli in fures manifestos constituerint, tamen jure Digestorum nonnunquam in fures pœna capitali animad-

versum est, *l. interdum §. qui furem D. h. t. l. penult. D. de condict. caus. dat. caus. non sec.* & paulatim eò deventum, ut vel civiliter ad pœnam pecuniariam, vel criminaliter ad pœnam extraordinariam agere ob furtum liceat. *l. fin. h. t.* Quam tamen pœnam arbitrariam jure Novellarum ad corporis supplicium, manus abscissionem, vel quam pœnam aliam corporalem extendere vetitum est, donec Carolina constitutione & Romani Imperij consuetudine fures ad furcam sive patibulum damnari ceptum est. *Novell. 134.* Sed hanc Imperialem & consuetudinariam pœnam delicto longe majorem ita demum furibus infligi debere, si grave & grande furtum commiserint, vel furtum sæpius iterarint, & spes melioris & emendatioris vitæ nulla sit, saniores juris nostri interpretes piè & rectè judicant. Ceterum furti quoq; pœna tenentur qui opem & consilium præstant, & fures

cum

cum rebus furto ablatis receptant. *§. 10. h. t.*

De VI Bonorum Raptorum.

Titulus II.

Altera delicti ſpecies, Rapina eſt, quod furtum improbius dicitur, cujus delicti nomine Prætor actionem in quadruplum dat, quæ vi bonorum raptorum appellatur. *l. 2. §. ceterum D. h. t. l. ſi te. C. ex quibus cauſ. infam. irrog.* Differunt hæc delicta, quod furtum clàm, rapina palam fiat, quod furtum manifeſtum pœna quadrupli, furtum nec manifeſtum pœna dupli coherceatur, rapina ſine diſtinctione pœna quadrupli, puniatur, quod in furto totum quadruplum pœna ſit, in rapina quadruplo rei furto ablatæ perſecutio inſit; quod actio furti manifeſti quantumvis penalis tamen perpetua, ſed actio vi bonorum raptorum intra annum, quadrupli, poſt annum ſimpli ſit. *§. 1. h. t.*

De

De Lege Aquilia.

Titulus III.

Tertia delicti species est, Damnum injuria, hoc est, non juredatum. §. 1. *h. t. l. si quis D. d. t.* Quod lex Aquilia vindicat. Hujus tria fuerunt capita. Primo capite cautum est, ut, si quis alienum hominem alienamvè quadrupedem, quæ pecudum numero sit, injuria occiderit, quanti ea res eo anno plurimi fuerit, tantum dare domino damnetur. *l. 2. D. h. t.* Secundum caput in desuetudinem abijt. §. 6. *h. t.* Capite tertio de omni cetero damno cavetur, quanti scilicet in diebus triginta proximis res fuerit. §. 7. & 8. *h. t.* Itaq; si quis servum vel etiam quadrupedem, quæ pecudum numero est, vulnerarit, *l. si servus. §. servi D. h. t.* sive eam quadrupedem, quæ pecudum numero non est, veluti canem aut feram bestiam vulneraverit aut occiderit, hoc capite tertio legis

gis. Aquiliæ coercetur. §. *1. h. t.* Dantur hujus delicti nomine actiones tres: Vel enim quis præcipuè corpore suo damnum dedit, & actioni legis Aquiliæ directæ locus est, §. *9. h. t.* qua agitur ad æstimationem damni, quanti eo anno res plurimi fuerit. §. *4. h. t.* Quinimò omnia etiam commoda, quæ intra annum, quo servus occisus est, pretiosiorem istum fecerunt vel rem domini augere potuerunt, hac actione petuntur. §. 5. Vel quis damnum dedit, non principaliter corpore suo, sed per accidens, veluti, si quis hominem alienum ita incluserit, ut fame necaretur. *d.§.9.* Et eo casu actio utilis locum habet. Deniq; si neq; corpori damnum datum sit, neq; corpus læsum fuerit, sed alio modo damnum alicui contigerit, veluti, si quis misericordia ductus alienum servum vinctum solverit, ut fugeret actio in factum Prætoria competit. *d.§.9.* Venit in has actiones

nes culpa etiam levissima. *l. 44. D. h.t.* Dantur verò actiones illæ servi vel quadrupedis domino. Ceterùm hominem liberum, cum æstimationem non recipiat, actio l. Aquiliæ non comprehendit. Datur tamen actio utilis, ut mercedes medicis præstitæ computentur, ceteraq; impendia, quæ in curatione facta sunt, deniq; operarum quibus caruit aut cariturus est ob id quod inutilis factus est, ratio habetur. *l. fin. D. de his qui effud.*

De Injurijs.

Titulus IV.

Ultima delictorum species est Injuria, hoc est, contumelia. Ea verò committitur vel in corpus: vel extra corpus, *l. 1. §. 2. D. h. t.* h. e. vel re vel verbis fit. *d. l. 2. §. 1.* Re fit injuria, si quis verberetur pulsetur. *§. 2. h. t.* Verbis, si cui convicium dicatur. *d. §. 2.* Vel si in alicujus contumeliam carmen famo-

famosum scribatur. *l. unic C. de famos. libel.* De injuria vel civiliter agitur ad æstimationem præstandam, puta, ut conviciator injuriam recantet, palinodiam canat & mille vel centum florenos solvat. §. *7. h. t.* Vel criminaliter ad pœnam extraordinariam reo irrogandam. In æstimatione ea facienda atrocitas injuriæ in considerationem venit. §. *6. h. t.* Atrox autem injuria dicitur vel ex facto, vel ex loco delicti, puta, si in fano, vel curia injuria inferatur, vel ex loco vulneris, puta, si in oculo vulnus infligatur. Vel ex persona, si magistratus, vel parens patronus injuriā patiatur.

De Obligationibus quæ ex quasi Delicto nascuntur.

Titulus V.

Videamus nunc de obligationibus quæ ex quasi delictis nascuntur, quarumprima inde oritur si judex per imprudentiam male judicet, cujus

jus delicti pœna quod litem suam faciat, & eo amplius secundum id, quod religioni judicantis æquum visum fuerit. puniatur. §. 1. *h.t. l. 5. § si judex. D. de oblig. & action. l. fin. D. de var. & extr. cog.* Verum si Judex spe lucri malè judicet, novello jure in pecuniarijs causis dati triplo, sed promissi duplo plectitur, cingulo, & dignitate simul amissa. *d.* §. *1.* Incriminalibus vero bonorum confiscatione & exilio mulctatur. *auth. novo jure C. de judic. qui male judic.* Secunda quasi maleficij species eam dejectionem vel effusionem, quæ ex alicujus cænaculo fit, coercet, quinquaginta aureorum pœna constituta, si homo liber occidatur. §. *2. h. t. l. 1. tot titulo de his qui effud. vel .dejec.* In tertiam, quasi delicti speciem committit is, qui eo loco, quo publicè iter fit, aliquid positum, vel suspensum habet, quod potest, si ceciderit, nocere. *l. si plures §. Prætor ait. D. d. t. & d. §. 2.* Quo casu decem aureo-

reo-

reorum pœna in delinquentem constituta est. Deniq; navis, cauponæ vel stabuli exercitor, hoc est, is, ad quem navis, cauponæ, vel stabuli reditus perveniunt, ob furtum vel damnum ab ijs, quorum opera in nave, caupona vel stabulo utitur, factum & datum quasi ex maleficio tenetur. §. *fin. h. t. l. 7.* §. *1. D. Naut. Caupon. stabul.* Et quæ ex his quatuor quasi delictorum generibus actiones dantur, in factum Prætoriæ appellantur, & læso ejusq; heredi dantur. §. *fin. h. t.* Sed adversus rei heredes non competunt.

De Actionibus.

Titulus VI.

Actio est jus persequendi judicio, quod sibi debetur. §. *1. h. t.* Vox jus genus est, & potestatem sive facultatem denotat. *l. si pupilli.* §. *fin. D. de negot. gest.* Cetera Verba formam complectuntur. Persecutio non tantum est personæ sed & rei, *l. in honorarijs D. de oblig.*

oblig. & action. Judicium quoq; in generali significatione accipitur, & omnia judicia complectitur, sive coram ordinarijs sive coram datis, pedaneis & delegatis, sive etiam coram arbitris exerceantur. Deniq; verborum, debetur, genericè intelligitur ad omnes actiones cujuscunq; generis & nominis sese extendens. *l. pecunia in fin. D. de verbor. signif. §. item si 1. de except.* Actionum summa divisio est, quodvel in rem sint vel in personam: *§. 1. h. t.* Istæ obligationē ex contractu vel quasi contractu, ex maleficio vel quasi maleficio, similibusvè quibusdam modis, figuris, & articulis promanantem, *l. 1. §. 1. D. de obl. & art.* illæ obligationem ex nullo istiusmodi jure ortam, *§. 1. h. t.* sed ex re ipsa surgentem habent causam suam. *d. §. item si.* Istis persona, illis res convenitur, istæ personam, illæ rem persequuntur ideoq; istæ contra personam tantum obligatam, illæ contra quemcunq; possessorem & deten-

detentorem dantur, *l. Deniq; D. d. jure fisci.* istis rem nobis dari, vel aliquid fieri oportere, illis rem nostram esse pronunciari petimus, *l. si in rem. D. de rei vindicat.* Istæ condictiones, illæ vindicationes appellantur. *§. appellamus 1. h. t.* Vindicationes vel rerum universalium vel singularium sunt: Utræq; verò vel civilès vel Prætoriæ. Ad civiles de universitate vindicationes pertinet hereditatis petitio ex causa, puta, in officiosi injusti, falsi aut irriti testamenti, *l. 1. & tot. titulo D. C. & institut. de inoffic. testamento.* Vel successionis ab intestato. *d. l. 1. ff. & institut. de injusto rept. & irrit. fac testam:* Ex Prætorijs de universitate vindicationibus est, petitio velut hereditatis sive bonorum possessionis. *l. 1. & tot. titulo 2. D. C. & Instit. de suis & legit. hered:* de successionibus ab intestat. &c. Inter civiles rerum singularium vindicationes prima numeratur vindicatio rei, quæ nihil aliud est quam dominij

minij ſive proprietatis aſſertio adverſus rei poſſeſſorem vel detentorem competens. *l. 1. & ſeqq. D. de poſſeſſor. hered. petit.* Duo enim ſunt actionis requiſita, Prius, ut actor ſit rei vindicandæ dominus, Poſterius, ut qui actione hac convenitur rem poſsideat vel ſaltem detineat, vel etiam dolo poſsidere deſierit, atq; adeo juris auctoritate pro poſſeſſore habeatur. *l. officium D. h. t.* Et quidem ſi poſſeſſor vel detentor rem ad actorem pertinere fateatur, ſed jus aliquod in re ſibi competere affirmet, actor probatione levatur, & reo convento juris ſui allegati probatio incumbit. Si verò poſſeſſor contrà vindicet, & rem, quam poſsidet, vel detinet, ſuam eſſe contendat, vindicatio propriè & revera locum habet, & actori probatio injungitur. *l. 15. qui dolo D. de rei vind.* Qua facta res reſtituenda eſt cum omnibus fructibus perceptis & percipiendis, *§. 1. verſ. poſſeſſor. autem. h. t.*

Ci-

Civilis hoc amplius vindicatio est, actio confessoria & actio negatoria sive negativa. Per illam servitus prædialis vel personalis ad agentem pertinere intenditur & asseritur, *l. qui restituere. D de rei vindicat.* ideoq; ut plurimùm verbis affirmativis concipitur, quamvis nonnunquam negativis, quoq; verbis proponatur, *l. 2. D. Si servit. vindic.* Per hanc servitus prædialis vel personalis reo usurpanti competere negatur, *l. 4. §. ult. l. 6. D. d. t.* atq; inde negativis potissimum verbis concipitur. *d. l. 2. §. 2. h t.* Et si quando vel hæc affirmativis vel illa negativis verbis proponitur, certè necesse omnino est, ut verba ista affirmativa sensum negativum & verba illa negativa vim & virtutem affirmativam in se habeant. Ceterum hæ actiones prudentum interpretatione & juris Canonici auctoritate ad res alias incorporales,

puta jurisdictionem, jus patronatus & similia incorporalia jura accommodari ceperunt. Datur actio confessoria illi, qui jura incorporalia habet, contra illum qui quoquo modo jura ea impedit, vel controversa facit. *c. prohibemus X. de decimis.* Quocirca actori actione confessoria agenti initio probandum est, se esse in velut possessione servitutis vel juris, quod sibi asserit: deinde servitutem sibi vel prædio suo esse constitutam vel conventione, vel ultima voluntate vel præscriptione: tertiò in illa servitute sibi vim vel impedimentum inferri. Quapropter petit pronunciari & declarari, servitutem vel jus prædio suo vel sibi competere, & adversario, ut à vi vel impedimento desistat, inhiberi, *toto titulo D. si ususf pet. & tot. titulo D. si servitus vindicet.* & ut omnes fructus damna & id quod interest, præstet per sententiam injungi, *l. sicut. §. sed si quæ-*

ratur

ratur D. si servitus vind. & simul cautionem de in futurum non inquietando exigi & sibi tradi. *l. loci Corpus §. in confessoria l. uti frui, §. in his D. d. t.* Actio negatoria datur illi, qui dominium vel jus aliquod habet in re, in qua servitutem negat, quiq; probat, rem illam esse liberam & servitutis expertem, contra eum, qui servitutis assertione libertatem rei tollere vel impedire tentat, ideoq; postulat pronunciari, rem esse liberam & jus non esse adversario servitutis usurpandæ *l. harum l. egi D. d. t.* atq; adeò adversarium in damnum & id quod interest, condemnari, *l. loci §. competit. D. d. t.* Cautione simul exacta & præstita, ne quid ipse vel heredes ejus postmodum faciant. *d. l. loci. § sed in negatoria.* Sequuntur vindicationes prætoriæ. Actio publiciana est vindicatio prætoria sive vindicatio utilis, quæ amissa possessione datur ei,

qui à non domino rem traditam ex justa causa dominij acquirendi bona fide acecepit nec dum usucepit. *d. l. bonum d. l. egi.* Datur igitur velut domino plenum dominium nondum adepto contra possessorem sive detentorem quemvis, vel etiam eum, qui dolo posside re desijt. §. *namq; h. t. l. 1. & tot. titulo D. de public. in rem action.* At contra verùm dominum vel etiam contra alium bona fide posidentem & titulo subnixum locum non habet, cum ille veritatis patrocinio vincat, *l. sive autem §. si duobus cum ibi notat. l. penult l. fin. D. d. t.* Iste duplici jure tam tituli quam possessionis potior sit. *l. in pari D. de regul. juris.* Datur pro rebus non solum Corporalibus sed & incorporalibus Probandum est hac actione agenti sibi rem bona fide traditam esse ex justo & ad transferendum dominium idoneo titulo, eamq; adver-

sarium

sarium possidere. *l. si ego §. si de usufruct. D. de publi. in rem action.* Quo probato reus rem cum fructibus, damnis & interesse restituere tenetur dict. jurib. Actio rescissoria est prætoria sive utilis vindicatio *l. item ait. D ex quibus caus. major.* qua aliquis propter quamvis absentiam justam interim usucapione rei suæ læsus vel non utendo jure suo privatus intra quadriennium continuum usucapionem impletam rescindi petit, & à tempore factæ rescissionis intra annum utilem rei amissæ dominium revocat & recuperat. *l. fin. C. de tempor in integ. restit. §. rursus cum ibi notat. h. t.* Datur verò hæc actio pro rebus mobilibus & immobilibus, corporalibus, & incorporalibus. *l. fin. & ibi interp. d. §. rursus & ibi. Faber. & alij.* Pauliana actio est prætoria vindicatio competens creditoribus ad ea, quæ à debitoribus in fraudem alienata

& gesta sunt, revocanda & in integrum restituenda: Et ita demum locum sibi vindicat si fraus in creditorum perniciem sit facta re & eventu, *l. ait. prætor §. 1. D. de his quæ in fraud. cred. §. item si quis h. t.* si nimirum res quæ alienata est, in bonis fuerit debitoris, si alienatio & traditio vel vera, puta, traditio de de manu in manum, *l. hac in factum l. omnes debitores D. d. t.* vel ficta, puta, debiti remissio vel conniventia intervenit, *l. alienationis D. de verbor. signif.* si debitorum bona ex præsidis sententia ante sint possessa & excussa, ita ut certò sciri posset, bona debitoris fraudantis æri alieno exsolvendo non sufficere. *d. l. ait. prætor l. 1. l. pen. C. de revocand. ijs quæ in fraud. credit. facta sunt.* Datur quibusvis tam futuris, quam præsentibus, tam sub conditione quam in diem, tam hypothecarijs quam chirographarijs creditoribus ex

qua-

quacunq; causa, sive inter vivos, sive ex ultima voluntate, sive ex contractu sive ex delicto debitum sit. *d. §. item si quis cum ibi notat* Datur contra debitores fraudulenter alienantes, ut excutiantur usq; ad teruncium, vel etiam carceri mancipentur ob dolosam alienationẽ. *l. si debitor l. fin. §. fin. D. de his quæ in fraud. cred. d. §. item si quis cum ibi notat.* Datur præterea contra possessores rem fraudulenter alienatam possidentes ad rem etiam sine precio refuso restituendam, si fraudis conscij fuerint: neq; distinguitur, possessores illi titulo oneroso an lucrativo rem acquisierint. *d. l. ait prætor. in pr. & §. quod ait. prætor l. si debito D. d. t.* Sed & idem juris est, si titulo lucrativo rem alienatam possideant, etiamsi fraudis scientiam non habuerint. *l. qui autem §. similiq; modo D. d. t. l. fin. C. eod.* Quin & contra concreditores locum hæc

actio habet, si illis præ ceteris debitor gratificatus sit & rem in illos fraudulenter alienarit. *l. pupillus D. d. t.* Ceterum, si res fraudulenter alienata post à possessore, in quem alienata est, in tertium fide bona ementem sit translata, contra istum actio hæc non competit. *l. qui à debitore D. d. t.* Datur hæc actio pro rebus & juribus quibusvis creditorum ad id, ut res alienatæ restituantur cum omnibus fructibus, *l. 1. D. h. t.* & datur intra annum, nisi si quid alienator lucri fecerit ex re alienata *l. videamus §. in Fabiana. D de usuc. d. l. ait prætor § per hanc.* nam eo nomine post annum petitio est. *d. l. ait. prætor §. hæc actio.* Serviana actio est vindicatio prætoria, *§. item servi h. t. l. si cum venditor. D. de evict.* qua dominus prædij urbani vel rustici de rebus inquilini vel coloni, pignoris jure obligatis experitur

ad

ad possessionem avocandam *l. 2. D. in quibus caus. pig. vel hypoth. tacit. contrah.* Colonum intelligimus non solum nummarium, qui certa mercede fundum conductum habet, sed & partiarium, colonum, qui partem fructuum exolvendo fundum conducit. Datur hæc actio domino vel velut domino prædij urbani vel rustici contra inquilinum vel colonum ejusq; heredes, vel etiam contra alios quosvis res illas possidentes. *d. §. item serviana & ibi interp.* Datur pro mercede & pensione, & prædio deteriore facto. *d. l. 2.* Ac tacite obligata sunt bona inquilini domino sive is sciat illata esse sive nesciat sed coloni bona ita demum obligata censentur; si illata illa esse dominus sciat. *l. eo jure in pr. D. d. t.* illata porrò intelligimus, quæ sic inferuntur, ut ibi sint perpetuò, hoc est, quoad locatio conductio

durat. *l. in prædijs D. d. h. t.* Quasi Serviana sive utilis serviana sive hypothecaria actio, est prætoria vindicatio, qua creditores pignora & hypothecas persequuntur. *d. §. item serviana l. 1. § cum prædium D. de pign.* Pignora accipimus, sivè expressè sive tacitè nexa sint, puta, si pecunia ad refectionem navis mutuò data sit. *l. 1. D. in quibus. Caus. pig. tac.* Datur autem non soli domino, sed & cuivis creditori, sive pignus habeat conventionale sive prætorium sive judiciale sive legale, *d. §. item servi ana. l. 2. C. de Prætor. pignor.* sed & cessionario *l. 1. & tot. titul. D. & C. de act. vel hered. vend* & legatario similibusq; competit. *l. 1. C. communia de legat.* Datur contra debitorem, qui rem obligatam possidet ejusq; heredes, *l. 2. C. si unius ex pluribus &c.* itemq; adversus quemvis rei obligatæ possessorem, *l. pignoris C. de pignor.* deniq; contra

tra

tra illum, qui rem dolo possidere desijt. *l. si fundus §. in vendicatione D. de pignoribus.* Egimus hactenus de vindicationibus tam civilibus quam prætorijs, Videamus nunc de condictionibus sive actionibus in personam. Hæ sunt vel ex contractu vel ex quasi contractu, vel ex maleficio vel ex quasi maleficio *l. 4. D. de O. & A.* Actiones personales ex contractu, vel civiles sunt, vel prætoriæ. Civiles sunt, vel ex contractu certo sive nominato, *l. certi D. de rebus credit.* vel ex contractu incerto sive innominato. *l. 5. D. de præscript. verb.* Illæ sunt condictio certi ex mutuo, actio commodati, condictio indebiti, actio depositi, actio pignoraticia, actio ex stipulatu, actio empti venditi, actio locati cōducti, actio mandati, actio pro socio. Hæ appellantur actiones præscriptis verbis vel in factum & de dolo, quarum illæ ex contractibus. Do ut des, Do ut facias, Facio

ut facias ista ex contractu Facio ut des nascuntur *d. l. 5.* Actionum personalium prætoriarum prima numeratur actio de constituta pecunia. Constitutum est conventio, qua quis citra stipulationem promittit soluturum se, quod ipse vel alius debet. *§. de constituta h. t.* Quæ conventio novationem non facit, sed prima obligatio rata & firma per manet, quoad debitum re ipsa solutum sit. *l. 3. §. in eum D. de administ. rerum ad civitat. pertinent.* Debitum verò accipimus ex quocunq; contractu sive certo sive incerto debitum, *l. 1. §. debitum D. de constitu. pecun.* sive naturale & civile simul sit, sive naturale tantum sit, sive purum sit, sive in diem vel sub conditione, non tamen si civile tantum sit debitum. *l. 3. §. 1. D. d. t.* Constituimus vero nos debitores pro alio, sive is præsens sit sive absens, sive sciens sive ignorans sive

vo-

volens sive invitus sit. Deniq; hoc casu actio datur ex nudo pacto citra stipulationem, quia nimirum, prætoria jurisdictione pactũ adjuvatur Qua Ratione etiam ex pactis, lege, Senatus Consulto & principum constitutione confirmatis actio competit. *l. 6. D. de pact.* Altera actio est de peculio, actio nimirum prætoria personalis qua vel pater vel dominus convenitur, ut debitum à filio vel servo contractum solvat, quatenus peculium hujus vel illius ferre potest, §. *actiones cum ibi notat h. t.* deducto prius inde si quid patri vel domino debeatur. *l. depositi in fin. D. d. pecul.* Quod in servo sine distinctione obtinet, cum unum tantum peculium habeat. Sed in filiof. distinctionem & restrictionem admittit, Nam pater ex solo profectitio peculio debitum filijf. solvere tenetur. At ob adventitium peculium velut

administrator tantum convenitur: *l. 1. C. de bonis matern. l. cum oportet l. fin C. de bonis quæ liber.* De castrensi vel quasi castrensi peculio rationem non reddit, cum ipse filiusf. in utroq; pro patrefamilias habeatur. Est vero hæc actio filiof. vel servo vivente, perpetua, mortuo, anni unius, ejusq; continui. *l. 1. & seqq. D. Quando actio ex peculi. annal.* Ceterum ex delicto filijf. vel servi nulla datur actio de peculio, nisi quatenus peculium ex delicto filijf. vel servi locupletatum est. *l. 4. §. ex furtiva D. de pecul.* Huc referendæ sunt actiones ceteræ, quæ ex filiorumf. vel servorum contractibus in nos dantur, de quibus infra titulo proximo agemus. Tertia actio est in factum ex jure jurando. Jusjurandum vel est voluntarium, vel necessarium, vel judiciale. Voluntarium jusjurandū, si juris textus sequimur, id est, quod volun-

tate

tate partium in ipso judicio vel extra judicium interponitur. *l. 1. l. qui jurasse. §. fin. l. ult D. de jure jur.* Inde voluntarium dictum, quod is, cui defertur, si jurare nolit, liberam jusjurandum sibi delatum referendi potestatem & facultatem habeat. *l. delata. C. de jurejurand.* Necessarium jusjurandum est, quod pars, cui delatum est, refert deferenti, ideò sic dictum, quod necessariò præstandum sit nisi causa cadere velit. Judiciale est, quod ob probationis inopiam à Judice defertur. *l. 1. D. d. t.* Verum in foro & usu juris nunc recepti jusjurandum voluntarium est, quod ex conventione extra judicium defertur. *interpp. in l. jus jur. & in l. si quis D. d. t.* Necessarium quod inopia probationis à judice ligitatori imponitur. Judiciale, quod à parte parti in judicio defertur.

Sunt & aliæ juramentorum species,

cies, puta, juramentum in litem, quo res, quæ in controversiam & litem vocata est, in contractibus & actionibus bonæ fidei per actorem æstimatur, & judicis arbitrio definitur. *l. 1. & t. tit. D. & C. de in lit. jur.* Item juramentum purgationis, quando judex reo de criminibus suspecto jusjurandum defert, quo se à criminibus purget, & conscientiæ puræ testimonium edat. *l. fin. §. sane cum ibi notat. C. de his qui ad Eccles.* Deniq; jusjurandum est suppletorium sive suppletivum, quod in semiplenæ probationis supplementum à judice defertur in causis pecuniarijs & civilibus. *l. admonendi D. de jurejur. l. in bonæ fidei C. de rebus cred. d. t.* Datur vero ex jurejurando actio in factum prætoria personalis, *l. actori C. d. t.* qua is, qui postulante adversario sibi aliquid deberi vel rem suam esse juravit, *§. item si quis postulante h. t.* debi-

tum

tum vel rem à debitore vel possessore repetit. *l. num postea §. fin. D. d. t.* Et simulatq; juratum est, non jam amplius quæritur, Utrum debeatur, sed an juratum sit, *d §. item si quis postulante* cum jusjurandum probationis, *l. 5. D. d. t.* transactionis *l. 1. D. d. t.* sententiæ & rei judicatæ, *d. l. 2. l. sed etsi possessori §. ult. D. d. t.* deniq; ut alia mittamus, vim paratæ executionis obtineat. *l. post rem judicatam. D. de re judic. d. l. 2. ibi interpp.* Sequuntur actiones. Prætoriæ pœnales, quarum prima est, Albi Corrupti actio & datur contra illum, qui albũ vel de albatá tabulá in qua Prætor Edicta proponit, dolo corrumpit. Idem tamẽ est, si quid aliud edicta vel mandata Prætorum cæterorumq; magistratuum continens corruptum sit, puta cartha vel membrana, vel quid simile. *l. si quis id quod D. de jurisdict.* Datur hæc actio adversus dolo corrumpentem

tem ad pœnam quingentorum aureorum, *d. l. si quis id quod* & datur cuivis de populo, cum actio sit popularis. *d. l. si quis.* Corrumpit vero album non is solum, qui scindit, commaculat, interlinit, expungit, sed & qui tollit, vel quoquo modo depravat *d. l. si quis §. in servos.* Ceterum quod de albo dicitur, id interpretum auctoritate & prudentia ad imagines in dedecus & infamiam sceleratorum hominum in publico positas, item ad libros & res armarij vel archivi communis, productum est, ut nimirum eadem pœna coerceatur, si quis vel illos vel istas surripiat aut vitiet. *§. pœnales h. t.* Secunda actio Prætoria pœnalis punit filium vel libertum sine prætoris venia parentem vel patronum in jus vocantem. *d. §. pœnales l. 4. D. de in jus vocand.* In jus vocare est, juris sui experiundi causa ad magistratum vocare. Et

ita

ita vocatus statim & è vestigio venire cogebatur, vel manu injecta invitus rapiebatur & ducebatur. Quod cum ignominiosum parentibus & patronis esset, sine permissu Prætoris vocari non poterant. Hodiè rigido illo abripiendi & trahendi more abolito filijf. vel liberti preces magistratui exhibent, quibus parentes vel patronos exigunt. Ideoq; veniæ petitione speciali & peculiari non est opus cum preces illæ, id suppleant. Parentes intelligimus cujuscunq; sexus, cujuscunq; gradus, cujuscunq; status, sive legitimos & naturales simul, sive legitimos tantum, sive naturales tantum, sed & socerum ac socerum, deniq; præceptores, à quibus habemus, ut cum virtute & laude vivamus. *l. Aquilius D. de donat.* Est verò in eos qui adversus hæc faciunt, quinquaginta aureorum judicium constitutum. *l. pen. D. d. t.* Tertia

præ-

prætoria pœnalis actio eum, qui vim facit, ne qui vocatus est, in jus sequatur ducaturvè, cohercet & punit, non inid, quod verè interest, sed quanti ea res, de qua controversia est, ab actore æstimata fuerit. *d. §. pœnales l. penult. D. Ne quis eum, qui in jus vocat vi eximat.* Vim autem facere dicitur non solum is, qui ipse eximit, sed & is, cujus dolo malo alius eximit. *d. §. pœnales.* Ceterum sunt actiones præjudiciales tam civiles quam Prætoriæ. *§. præjudiciales tot.* Præjudiciales dicuntur, quod actionibus principalibus præjudicium faciant, hoc est, actiones principales suspendant, quoad de emergente quæstione præjudiciali feratur sententia. Civiles præjudicialis actio est, per quam quæritur, an aliquis liber sit. Prætoriæ præjudiciales actiones, per quas quæritur, an aliquis patronus sit, item utrum partus sit genuinus.

Nam

Nam ſi actio principalis ſit inſtituta de obſequijs partono præſtandis, vel de alimentis partui ſubminiſtrandis, & adverſarius neget patronum eſſe vel partum ſuppoſititium eſſe affirmet, principalis cauſa & actio differtur & de lite incidente cognitio prius inſtituitur, & poſt ad cauſam principalem ejuſq; deciſionem reditur. Sequens actionum diviſio eſt, quod quædam actiones rei perſequendæ gratia comparatæ ſunt, quædam pœnæ exigendæ, quædam miſtæ. §. *ſequens h. t.* Rei perſecutorijs actionibus attribuuntur illæ, de quibus libro tertio & ſupra hoc titulo diximus, tam reales quam perſonales actiones, niſi quod ob depoſitum incendij, ruinæ, naufragij vel tumultus cauſa concreditum ad duplum agatur. *d.* §. *ſequens.* Ad penæ perſecutorias pertinent actiones injuriarum; & furti, ita ut actionibus

miſtis

mistis relinquatur actio vi bonorum raptorum, legis Aquiliæ, & legati locis pietati dedicatis dati petitio. §. *ex maleficijs h. t.* Hoc amplius mista sunt judicia puta, familiæ herciscundæ actio. §. *quædam 18. h. t.* qua res vel pecunia hereditaria inter coheredes dividi petitur. *d. §. quædam l. 1. & seqq. D. & C. famil. hercisc.* Communi dividundo judicium, quo ad ejus, quod commune est divisionem experimur. *d. §. quædam l. 1. & tot. tit. D. & C. communi divid.* Finium regundorum actio, quæ inter confines de agrorum finibus regendis redditur. *d. §. quædam l. 1. & seqq. D. & C. Fin. regund.* Est in hisce tribus Judicijs singulare, quod judici liceat uni litigatorum rem ex bono & æquo adjudicare, illumq; alteri certa pecunia vicissim condemnare. *d. §. quædam in fin.* Tertia actionum divisio est, quod vel in simplum, vel in duplum, vel

in

in triplum, vel in quadruplum conceptæ ſint. § *omnes autem* 29. In ſimplum agitur ex omnibus penè conventionibus. *d.* §. *omnes autem.* In duplum experimur actionem furti nec manifeſti, quæ omnino & ſimpliciter in duplum datur, §. *ſed furti h. t.* item damni injuria ex lege. Aquilia, & Depoſiti ex quibuſdam cauſis, puta incendij, naufragij, ruinæ & tumultus, quæ duæ actiones non ſimpliciter, ſed ob inficiationem & mendacium in duplum competunt, item ſervi corrupti, quæ actio in eum datur, cujus hortatu, conſiliovè factum eſt, ut ſervus alienus fugerit, aut contumax adverſus dominum factus ſit, aut luxurioſiùs cœperit vivere, aut quolibet modo deterior factus fuerit. *d.* § *ſed furti.* Et hæc quoq; actio ſimpliciter in duplum eſt. *d.* §. *ſed furti.* deniq; in duplum agitur ex legato venerabili.

rabilibus locis relicto, nec spontè soluto. §. *ex maleficiis in fin. h. t.* Quæ etiam actio, si solutio fiat, antequam judex adeatur, in simplum est, sed Judice adito in duplum competit. *d.* §. *sed furti in fin.* Tripli actione tenentur viatores & executores litium sportulas ampliores quàm lex vel consuetudo permittit, à litigatoribus extorquentes. §. *tripili. h. t.* Et in hoc triplo etiam simplum, in quo aliquis damnum passus est, connumeratur. Ad quadruplum agitur actione furti manifesti, deq; ea pecunia quæ sic data est, ut is, cui datur, calumniæ causa negocium alicui faciat vel non faciat *l. 1. & seqq. D. de calumniatorib. d. §. quadrupli h. t.* Actio verò quod metus causa ita demum in quadruplum datur, si reus rem Judicis jussu vel monitu spontè non restituat, sed sententiam de re restituenda decisivam

ex-

exspectet. §. *item actio h. t.* Quarta actionum divisio est quod aliæ sint bonæ fidei, aliæ stricti juris. Bonæ fidei actiones dicuntur, quod in illis fides bona exuberet, *l.* 5. C. *de resc. vendit.* quodq; libera judici potestas sit ex bono & æquo æstimandi, quantum actori restitui debeat. §. *in bonæ* 26. *h. t.* Stricti juris actiones sunt, quæ sunt strictis formulis conclusæ, stricti judicij, strictæ executionis. *l. unica* §. *sed etsi.* C. *de rei uxori. action. l.* 5. §. *fin.* D. *de in lit. jur.* Actiones bonæ fidei sunt omnes pœnè supra enumeratæ ex contractib. natæ puta, ex empto vendito, locato conducto, mandato, commodato, deposito, pignore, societate, Communione, negocio gesto, permutatione, tutela, &c. hereditate petenda, familia herciscunda, & præscriptis verbis æstimatoria actio, quæ datur, quando res nostra æstimata data fuit, ut illam susci-

piens vendat, & æstimationem indicatam solvat; nam is, qui rem ita suscepit, tenetur vel æstimationem, quæ indicata est, præstare, vel rem ipsam reddere *l. 1. D. de æstimator.* deniq; ex stipulatu dotis causa sive rei uxoriæ actio bonæ fidei est. § *fuerat. 25. h. t.* Actiones stricti juris sunt ex mutuo, *l. 1. & tot. tit. D. de reb. cred. l. aut mutua D. de eo, quod certo lot.* stipulatione, *l. 1. & seqq. D. de verb. obligat.* testamento, de legato vel fidei commisso, *D. d. in d. §. actionum* ex contractibus incertis sivè innominatis, & regulariter ex omnibus alijs causis, quæ inter bonæ fidei negocia non sunt numerata. *l. 1. & seqq. D. de præscript. verb.* Solent hæ stricti juris actiones quandoq; fieri arbitrariæ, nimirum, vel ob dolum & contumaciùm non restituentis aut non obtemperantis, ne dolus stricti judicij colore fraudanti aut judicijs arbitrium contemnenti patroci-

trocinetur, vel ob loci adjectionem §. *præterea & h. t.* si nimirùm aliquis certo loco se daturum promittat, sed sua à loco illo absentia promissionem eludat. *l. 1. & tot. tit. D. de eo quod cert. loc.* Potest enim & debet judex æquitatis arbitrio adhibito arbitrari, ut alio loco commodo reus solvat quod debet. *d. § præterea.* Qua in re, uti & in ceteris propositis actionibus, cujuscunq; etiam generis illæ sint, curare Judex debet, ut quantum fieri potest, certæ pecuniæ vel rei sententiam ferat, etsi de incerta quantitate apud eum actum est. §. *curare h. t.* Hoc amplius diligenter & accuratè intueri & considerare judicem oportet, utrum plus quam debeatur petitum sit. §. *si quis 28. h. t.* Plus petitur quatuor modis, vel re, vel tempore, vel loco vel causa. Re, veluti si quis pro decem aureis, qui debebantur, viginti petat, vel rem totam suam

tem ad pœnam quingentorum aureorum, *d. l. si quis id quod* & datur cuivis de populo, cum actio sit popularis. *d. l. si quis.* Corrumpit vero album non is solum, qui scindit, commaculat, interlinit, expungit, sed & qui tollit, vel quoquo modo depravat *d. l. si quis §. in servos.* Ceterum quod de albo dicitur, id interpretum auctoritate & prudentia ad imagines in dedecus & infamiam sceleratorum hominum in publico positas, item ad libros & res armarij vel archivi communis, productum est, ut nimirum eadem pœna coerceatur, si quis vel illos vel istas surripiat aut vitiet. *§. pœnales h. t.* Secunda actio Prætoria pœnalis punit filium vel libertum sine prætoris venia parentem vel patronum in jus vocantem. *d. §. pœnales l. 4. D. de in jus vocand.* In jus vocare est, juris sui experiundi causa ad magistratum vocare. Et ita

ita vocatus statim & è vestigio venire cogebatur, vel manu injecta invitus rapiebatur & ducebatur. Quod cum ignominiosum parentibus & patronis esset, sine permissu Prætoris vocari non poterant. Hodiè rigido illo abripiendi & trahendi more abolito filijs vel liberti preces magistratui exhibent, quibus parentes vel patronos exigunt. Ideoq; veniæ petitione speciali & peculiari non est opus cum preces illæ id suppleant. Parentes intelligimus cujuscunq; sexus, cujuscunq; gradus, cujuscunq; status, sive legitimos & naturales simul, sive legitimos tantum, sive naturales tantum, sed & socerum ac socrum, deniq; præceptores, à quibus habemus, ut cum virtute & laude vivamus. *l. Aquilius D. de donat.* Est verò in eos qui adversus hæc faciunt, quinquaginta aureorum judicium constitutum. *l. pen. D. d. t.* Tertia

præ-

prætoria pœnalis actio eum, qui vim facit, ne qui vocatus est, in jus sequatur ducaturvè, cohercet & punit, non inid, quod verè interest, sed quanti ea res, de qua controversia est, ab actore æstimata fuerit. *d. §. pœnales l. penult. D. Nequis eum, qui in jus vocat vi eximat.* Vim autem facere dicitur non solum is, qui ipse eximit, sed & is, cujus dolo malo alius eximit. *d. §. pœnales.* Ceterum sunt actiones præjudiciales tam civiles quam Prætoriæ. *§. præjudiciales tot.* Præjudiciales dicuntur, quod actionibus principalibus præjudicium faciant, hoc est, actiones principales suspendant, quoad de emergente quæstione præjudiciali feratur sententia. Civiles præjudicialis actio est, per quam quæritur, an aliquis liber sit. Prætoriæ præjudiciales actiones, per quas quæritur, an aliquis patronus sit, item utrum partus sit genuinus.

Nam

Nam si actio principalis sit instituta de obsequijs patrono præstandis, vel de alimentis partui subministrandis, & adversarius neget patronum esse vel partum suppositirium esse affirmet, principalis causa & actio differtur & de lite incidente cognitio prius instituitur, & post ad causam principalem ejusq; decisionem reditur. Sequens actionum divisio est, quod quædam actiones rei persequendæ gratia comparatæ sunt, quædam pœnæ exigendæ, quædam mistæ. *§. sequens h. t.* Rei persecutorijs actionibus attribuuntur illæ, de quibus libro tertio & supra hoc titulo diximus, tam reales quam personales actiones, nisi quod ob depositum incendij, ruinæ; naufragij vel tumultus causa concreditum ad duplum agatur. *d. §. sequens.* Ad penæ persecutorias pertinent actiones injuriarum; & furti, ita ut actionibus

mistis

mistis relinquatur actio vi bonorum raptorum, legis Aquiliæ, & legati locis pietati dedicatis dati petitio. §. *ex maleficijs h. t.* Hoc amplius mista sunt judicia puta, familiæ herciscundæ actio. §. *quædam 18. h. t.* qua res vel pecunia hereditaria inter coheredes dividi petitur. *d.* §. *quædam l. 1. & seqq. D. & C. famil. hercis.* Communi dividundo judicium, quo ad ejus, quod commune est divisionem experimur. *d.* §. *quædam l. 1. & tot. tit. D. & C. communi divid.* Finium regundorum actio, quæ inter confines de agrorum finibus regendis redditur. *d.* §. *quædam l. 1. & seqq. D. & C. Fin. regund.* Est in hisce tribus Judicijs singulare, quod judici liceat uni litigatorum rem ex bono & æquo adjudicare, illumq; alteri certa pecunia vicissim condemnare. *d.* §. *quædam in fin.* Tertia actionum divisio est, quod vel in simplum, vel in duplum, vel

in triplum, vel in quadruplum, conceptæ sint. § *omnes autem* 29. In simplum agitur ex omnibus penè conventionibus. *d.* §. *omnes autem.* In duplum experimur actionem furti nec manifesti, quæ omnino & simpliciter in duplum datur, §. *sed furti h. t.* item damni injuria ex lege. Aquilia, & Depositi ex quibusdam causis, puta incendij, naufragij, ruinæ & tumultus, quæ duæ actiones non simpliciter, sed ob inficiationem & mendacium in duplum competunt, item servi corrupti, quæ actio in eum datur, cujus hortatu, consiliovè factum est, ut servus alienus fugerit, aut contumax adversus dominum factus sit, aut luxuriosiùs cœperit vivere, aut quolibet modo deterior factus fuerit. *d.* §. *sed furti.* Et hæc quoq; actio simpliciter in duplum est. *d.* §. *sed furti.* deniq; in duplum agitur ex legato venerabili-

rabilibus locis relicto, nec spontè soluto. *§. ex maleficiis in fin. h. t.* Quæ etiam actio, si solutio fiat, antequam judex adeatur, in simplum est, sed Judice adito in duplum competit. *d. §. sed furti in fin.* Tripli actione tenentur viatores & executores litium sportulas ampliores quàm lex vel consuetudo permittit, à litigatoribus extorquentes. *§. tripili. h. t.* Et in hoc triplo etiam simplum, in quo aliquis damnum passus est, connumeratur. Ad quadruplum agitur actione furti manifesti, deq; ea pecunia quæ sic data est, ut is, cui datur, calumniæ causa negocium alicui faciat vel non faciat *l. 1. & seqq. D. de calumniatorib. d. §. quadrupli h. t.* Actio verò quod metus causa ita demum in quadruplum datur, si reus rem Judicis jussu vel monitu spontè non restituat, sed sententiam de re restituenda decisivam

ex-

exſpectet. §. *item actio h. t.* Quarta actionum diviſio eſt quod aliæ ſint bonæ fidei, aliæ ſtricti juris. Bonæ fidei actiones dicuntur, quod in illis fides bona exuberet, *l.* 5. *C. de reſc. vendit.* quodq; libera judici poteſtas ſit ex bono & æquo æſtimandi, quantum actori reſtitui debeat. §. *in bonæ* 26. *h. t.* Stricti juris actiones ſunt, quæ ſunt ſtrictis formulis concluſæ, ſtricti judicij, ſtrictæ executionis. *l. unica §. ſed etſi. C. de rei uxori. action. l.* 5. *§. fin. D. de in lit. jur.* Actiones bonæ fidei ſunt omnes pœnè ſupra enumeratæ ex contractib. natæ puta, ex empto vendito, locato conducto, mandato, commodato, depoſito, pignore, ſocietate, Communione, negocio geſto, permutatione, tutela, &c. hereditate petenda, familia herciſcunda, & præſcriptis verbis æſtimatoria actio, quæ datur, quando res noſtra æſtimata data fuit, ut illam ſuſci-

K piens

piens vendat, & æstimationem indicatam solvat; nam is, qui rem ita suscepit, tenetur vel æstimationem, quæ indicata est, præstare, vel rem ipsam reddere *l. 1. D. de æstimator.* denique ex stipulatu dotis causa sive rei uxoriæ actio bonæ fidei est. § *fuerat. 25. h. t.* Actiones stricti juris sunt ex mutuo, *l. 1. & tot. tit. D. de reb. cred. l. aut mutua D. de eo, quod certo loc.* stipulatione, *l. 1. & seqq. D. de verb. obligat.* testamento, de legato vel fidei commisso, *D. d. in d. §. actionum.* ex contractibus incertis sive innominatis, & regulariter ex omnibus alijs causis, quæ inter bonæ fidei negocia non sunt numerata. *l. 1. & seqq. D. de præscript. verb.* Solent hæ stricti juris actiones quandoque fieri arbitrariæ, nimirum, vel ob dolum & contumaciùm non restituentis aut non obtemperantis, ne dolus stricti judicij colore fraudanti aut judicijs arbitrium contemnenti patroci-

trocinetur, vel ob loci adjectionem §. *præterea & h. t.* si nimirùm aliquis certo loco se daturum promittat, sed sua à loco illo absentia promissionem eludat. *l. 1. & tot. tit. D. de eo quod cert. loc.* Potest enim & debet judex æquitatis arbitrio adhibito arbitrari, ut alio loco commodo reus solvat quod debet. *d.* § *præterea.* Qua in re, uti & in ceteris propositis actionibus, cujuscunq; etiam generis illæ sint, curare Judex debet, ut quantum fieri potest, certæ pecuniæ vel rei sententiam ferat, etsi de incerta quantitate apud eum actum est. §. *curare h. t.* Hoc amplius diligenter & accuratè intueri & considerare judicem oportet, utrum plus quam debeatur petitum sit. §. *si quis 28. h. t.* Plus petitur quatuor modis, vel re, vel tempore, vel loco vel causa. Re, veluti si quis pro decem aureis, qui debebantur, viginti petat, vel rem totam suam

esse intendat, quæ tantum ex parte ejus sit. §. *plus autem 29. h. t.* Tempore, si quis ante diem vel condicionem obligationi appositam sibi debitum exigat. *d.* §. *plus autem.* Loco, si quis quod certo loco sibi dari stipulatus est, alio loco sibi dari purè petat. §. *loco 30. h. t.* Causa si quis, cum homo aut decem aurei in stipulationem alternativè deducti essent, hominem vel decem aureos non alternatim, sed simpliciter petat, atq; ita debitori vel promissori electionem dandi eripiat. §. *huic autem 31. h. t.* Et hisce casibus omnibus plus petens olim causa cadebat, jure noviore secus se res habet. Nam si tempore plus petitum fuerit, induciæ duplicantur, & actor litis sumptus refundit. §. *sed hæc 32. h. t.* §. *hodiè 1. de except.* Si vero, Re, loco vel Causa plus petatur, petitor damnum omne sarcire, & id quod interest, præstare tenetur. *d.* §. *si quis 28.*

t. l. X.

c. 1. X. de plu. petit. Ceterum si minus aliquis petat, quam debeatur, residui petitionem habet, §. *si minus 33. h. t.* sed & si aliud pro alio petat, errorem agnoscere & corrigere, & quod revera debetur, exigere potest. *d. §. si minus.*

Quinta actionum divisio est, quod quibusdā solidum prosequamur, quibusdam minus consequamur. Et plerisq; quidem actionibus solidum persequimur & consequimur, sed actione de peculio id tantum, quod in peculio est, adipiscimur. § *sunt præterea. 34. h. t.* Ita mariti, parētes, patroni, socij, donatores in id tantū, quod facere possunt, obligantur & tenentur. §. *si item 35. h. t.* Sed & compensationis exceptione posita evenit, ut solidum, quod petitum est non adipiscamur. §. *compensationes 36. h. t.* Compensatio est per æris sui computationem ab ære alieno liberatio: deniq; cessiona-

riùs locupletior iterum factus id solum, quod facere potest, præstare tenetur.

Quod cum eo, qui in aliena potestate est, negotium gestum esse dicitur.

Titulus VII.

Actiones non solùm ex negocio, quod ipsi contraximus, sed quod & sub potestate nostra constituti inierunt, contra nos dantur Quarum prima est. Quod jussu, sive, De jussu actio in personam rei persecutoria, *§.2.h.t.l. fin. in pr. D. pro jussu* qua pater & dominus ex obligatione jussu illorum quoquomodo contracta id, quod conventum vel actum est, præstare tenentur *d. §. 2.l. 1. & tot. tit. D. quod jussu.* Jussum intelligimus, sive expressè mandaverint, sive tacitè præceperint, *d. §. 2.* sive ratum habuerint, sive subscripserint, *l. 6. l. 3. C. quod cum eo qui in alien. pot.* sive subsignarint. *D. d. in d. §. 2.* Secunda est actio exercitoria, qua in solidum

tenetur exercitor navis ex contractu magistri, quē navi imposuit, vel ex contractu ejus, quem magister ab exercitore præpositus navi imposuit, ad præstandum id, quod ex magistri contractu debetur. §. 3. *h.t. l.1. & seqq. D. de exerc. actio.* Exercitor navis est nauclerus qui navem exercet. Magister est quidam exercitoris institor. Tertia est institoria actio, quæ in solidum competit ex institorio contractu adversus illum, qui institorem præposuit. Institor est, qui tabernæ similivè loco ad emendum vendendumve præponitur. *l. institor. D. institutor act.* negociādo rem alteriùs agens. *l. fin. D. d. t.* Quarta actio est Tributoria, qua vel ad mercium peculiarium cum creditoribus æqualiter & juste faciendam divisionem agitur, vel ad æquā tributionem revocatur, quam ante dominus distribuendæ mercis officiū suscipiens dolo malo iniquam

partitionem fecit. §.4. *h.t. l. 1. & tot tit. D. de tributor. action.* Quinta actio est de peculio, qua pater vel dominus ex contractu filij vel servi in quantum in peculio est convenitur. *§.5 h.t.* Sexta actio est de in rem verso, quæ datur contra patrem vel dominum in id, quod ex filijs. vel servi quæstione redactum est in patrimonium patris vel domini. *d. §.5.* verum hinc excipiuntur filijs. qui mutuam pecuniam accipiunt, & exceptione senatus consulti Macedoniani adjuvantur, quo minus exigi possit. *§.9. h.t. l.1. & seqq. D. de SC. macedon.*

De Noxalibus Actionibus. *Titulus. VIII.*

Non solum ex contractibus, uti supra exposuimus, sed & ex maleficijs servorum actiones adversus dominos dantur, quæ noxales dicuntur, quibus permittitur dominis judicio damnatis vel litis æstimationem

nem sufferc, & præstare, §. 7. *h.t. l.1. D. h.t.* Vel servum noxæ dedere, hoc est, pro peccato dedere Festus. *de V.S.* Noxa aliquando pro ipso peccato sive maleficio, *d.* §. *1. & Fest. d. Non Marcel de propi. servũ.* C. 5. aliquando pro damno, *d.* §. *1. h.t.* aliquando pro servo qui nocuit, accipitur aliquando pro pœna. *Fest. d. l. vetus Grammatic. de sermon lat. p. 1331.* Noxia quoq; interdũ maleficium & culpa accipitur *Festus d. loc. Vetus Gram d. loc. p. 1366.* interdũ damnum significat. *Festus d loc.* Sunt verò actiones noxales proditæ vel legibus, vel edicto Prætoris. §. *3. h. t.* Legibus, veluti, furti, ex lege XII. tabularum, vel damni injuria dati ex lege Aquilia. Edicto prætoris, veluti, injuriarum, & vi bonorum raptorum. Omnis autem noxalis actio caput sequitur, proinde si servus meus noxam committat, quandiu in mea potestate est, contra me datur actio. §. 4. *h.t.*

Si in alienam devenerit potestatem, contra illum, cujus juri subjectus esse cepit, actio competit. Si verò servus manumissus fuerit, contra ipsum servum actio dirigetur.

Si quadrupes pauperiem fecisse dicatur.

Titulus IX.

Actio noxalis datur etiam ob pauperiem, quam animal quadrupes irrationale, puta, equus, aut bos, aut quod simile animal vel lascivia, vel fervore, vel feritate fecerit *§.1. h.t. l.1. D. si quadrup. paup. fecis. dicat.* Pauperies autem est damnum sine injuria facientis datum. Nec enim potest animal injuriam fecisse dici, quod sensu caret. Datur verò actio contra Dominum, ut aut noxam sarciat, hoc est, damnum solvat & præstet, aut in noxam dedat, & animal quod noxá fecit, tradat vivum *d.l.1. §. noxæ autem D.h.t.* Nam morte actio hæc extinguitur. *l.2. D de noxal.*

noxal. action. Quod si porrò non quadrupes sed aliud animal pauperiem fecit, actio datur utilis. *l. pen. D. h. t.* Ceterum in bestijs propter naturalem feritatem actio hæc locum non habet. *l. 1. §. in bestijs D. h. t.* Et ideo si ursus fugit, & sic nocuit, non potest quondam Dominus conveniri, nisi fortè verrem, aprum, leonem, ursum ibi, quô vulgo iter fit, aliquis habeat. Nam is contra edictum ædilitium agit, ideoq; si libero homini noceatur, quanti bonum & æquum judici videbitur, tanti dominus condemnabitur. Cæterarum vero rerum nomine in duplum, quanti damni datum sit, punitur, & præterea actione de pauperie tenetur: nunquam enim actiones præsertim pœnales de eadem re concurrentes alia aliam consumit. *l. nunquam D. de reg. jur.*

De ijs per quos agere possumus.

Titulus X.

Actiones, de quibus diximus, nõ ipsi solùm instituimus sed & per alios, puta, procuratorem, tutorem, curatorem, similemvè jure proponimus. *§. 1. h. t.* Procurator est, qui aliena negotia mandato domini administrat. *l. 1. D. de procurat.* De tutoribus & curatoribus libro primo actum est.

De satisdationibus.
Titulus XI.

Sunt in judicio satisdationes perquam necessariæ, ne judicium reddatur elusorium. Satisdatio fit vel fidejussoribus, vel pignoribus, vel nuda promissione, vel jurejurando. *§. 3. h. t. l. 8. D. Qui Satisd. cogant.* Actores cavent de expensis in illum casum, quo succumbunt refundendis, itemq; de reconventione, si quam reus proponat, recipienda & pertexenda. Rei satisdant se in lite contra ipsos instituta perseveraturos & judicatum soluturos. Procuratores,

ratores, tutores, ſimilesvè, cavent de rato, donec mandatum tutorium vel curatorium exhibeant, & ea ratione perſonam ſuam legitiment.

De perpetuis & temporalibus actionibus, & quæ ad heredes & in heredes transeunt.

Titulus XII.

Actionum quædam ſunt perpetuæ, hoc eſt, certis & proprijs ſuis terminis concluſæ, cujuſmodi ſunt, quæ ex lege, Senatusconſulto vel principum conſtitutionibus dantur. Quædam annales, puta prætoriæ, quæ regulariter anno terminantur, exceptis paucis, quæ prolixius ſpacium habent. Qualis eſt actio furti manifeſti, itemq; actiones bonorum poſſeſſoribus cæteriſq; velut heredibus competentes. Sunt præterea actionum quædam in heredes tranſitoriæ, quædam perſonales heredem non attingentes. Cujuſmodi ſunt actiones pœnales.

Quæ tamen ipsæ heredem obligant, si lis ante contestata sit, quam delinquens diem obeat. *l. omnes actiones l. pœnalia D. de reg. jur.*

De exceptionibus.
Titulus XIII.

Actionis quasi quædam exclusio est, exceptio. *l. 2. in pr. D. h. t.* Exceptionum aliæ sunt perpetuæ & peremtoriæ, quæ agentibus semper obstant, & negocium, de quo agitur, perimunt. Aliæ Temporales & dilatoriæ, quæ actionem differunt, temporis moram tribuunt, & aliquandiu nocent, ex illarum numero sunt; exceptio rei judicatæ, transactionis, pacti de non petendo in perpetuum, jurisjurandi, doli mali, quod metus causa & cæteræ innumeræ. Ex harum numero sunt exceptio plus petitionis ex tempore, pacti conventi de non petendo intra certũ tempus. Sunt præterea aliæ exceptiones civiles, puta, rei judica-

judicatæ, jurisjurandi, non numeratæ pecuniæ ſimilesvè. Aliæ, prætoriæ, puta, exceptio pacti, quod metus cauſa & ſimiles.

De Replicationibus.

Titulus XIV.

Replicatio eſt exceptionis excluſio, verbi gratia, ſi convenerit, ne petatur, & poſtea actum ſit, ut petatur exceptio pacti de non petendo per replicationem pacti de petendo eliditur, & ſic de ſimilibus.

De Interdictis.

Titulus XV.

Etſi actiones poſſeſsionis nomine quandoq; dantur, tamen de poſſeſsione plurimum diſceptatur interdictis. §. *1. h. t.* Poſſeſsio eſt uſus rei ſive detentio rei corporalis cum animo & affectione ſibi habendi. *l. quæſtio D. de V. S. l. 1. in pr. D. de acqui. poſſ.* Et eſt vel civilis, vel naturalis. Poſſeſsio civilis eſt detentio, quæ

ex

ex justa dominij acquirendi causa cum animo & cogitatione dominij apprehenditur, & possidetur. *l. si servus §. 1. D. de noxalib. act. l. pen. C. de furt. l. quinq; D. de publ. in rem acti.* Naturalis possessio est rei detentio cum animo & affectione justa sibi possidendi citra animum & jus dominij. *l. verbum illud. D. de V. S* Possessio porrò alia est bonæ, alia malæ fidei, sive, quod perinde valet, alia justa, alia injusta. *l. 1. §. 6. D. de adq. poss.* Ad illam referenda est civilis, & naturalis possessio, Nam & naturalis possessio est justa. *l. d. l. quinq;.* Hæc aliquando corporalis dicitur, & nulla dominij cogitatione & affectione justa, nullo juris titulo suffulta est, sed est prædonia & improbo dominij animo costat. *l. quod servus l. si id quod §. fin. D. de adqui. pos.* Et hac justæ atq; injustæ possessionis consideratione Bartolus rectissimè scribit, Possessionem esse triplicem

plicem nempe civilem, naturalem, & corporalem. Priores duas justas, posteriorem injustam. Civiliter & cogitatione domini possident. qui rerum dominium habent, sive ipsi rem teneant, sive alijs illam in usumfructū dent, vel commodent. *l. in re mandat. C. mandat.* Naturaliter possident creditores pignus sibi nexum & traditum. *l. res pignor. D. de atqui. vel omit. poss.* Usufructuarius item rem in usum fructum datam, *l. naturaliter. D. d. t.* superficiarius & similes, *l. 1. D. de superfic.* Quod si verò de possessione vel quasi possessione lis oriatur & inter duos pluresvè disceptetur, negocium per interdicta expediri solet. Inde Interdicta appellantur, quod inter duos pluresvè interim dicantur §. *l. 1. fin. h. t.* Et olim nihil aliud erant, quā formæ & conceptiones verborū quibus Prætor jubebat aliquid fieri aut fieri prohibebat. *pr. h. t.* Summa

ma interdictorum, divisio est, quod quædam prohibitoria, quædam restitutoria, quædam exhibitoria sint. *§. 1. h. t.* Prohibitoria sunt, quibus Prætor vetat aliquid fieri, veluti vim fieri sine vitio possidenti, vel mortuum inferenti, quo ei jus erat inferendi, vel in loco sacro ædificari, vel in flumine publico ripave ejus aliquid fieri quo pejus navigetur. *d. §. 1.* Restitutoria sunt, quibus restitui aliquid jubet, veluti bonorum possessori possessionem eorum, quæ quis pro herede aut possessore possidet aut cum jubet ei, qui vi de possessione fundi dejectus est, restitui possessionem. *d. §. 1.* Exhibitoria sunt, per quæ jubet exhiberi, veluti eum, de cujus libertate agitur, aut libertum, cui patronus operas indicere velit, aut parenti liberos, qui in potestate ejus sunt. *d. §. 1.* Sequens interdictorum divisio hæc est, quod quædam adipiscen-

piſcendæ poſſeſsionis cauſa comparata ſunt, quædam retinendæ quædam recuperandæ. §. 2. *h. t.* Adipiſcendæ poſſeſsionis cauſa interdictum accommodatur bonorum poſſeſſori, quod appellatur, QUORUM BONORUM, ejusq; vis ac poteſtas hæc eſt, ut quod ex ijs bonis, quorum poſſeſsio alicui data eſt, quiſquam pro herede poſsidet, id ei, cui bonorum poſſeſsio data eſt, reſtituat. §. 3. *h. t.* Pro herede autem poſsidere videtur, qui putat, ſe heredem eſſe. *d.* §. 3. Pro poſſeſſore is poſsidet, qui nullo jure rem hereditariam vel etiam totam hereditatem ſciens ad ſe non pertinere poſsidet. *d.* §. 3. Ideò autem adipiſcendæ poſſeſsionis vocatur Interdictum, quia ei tantum utile eſt, qui nunc primum conatur adipiſci rei poſſeſsionem. Itaq; ſi quis adeptus poſſeſsionem amiſerit eam, hoc interdictum ei inutile eſt. Interdictum quoq; quod appellatur Salvianum, adipiſcendæ poſſeſsionis cauſa comparatum eſt, eoq; utitur Dominus fundi de rebus coloni, quas is, pro mercedibus fundi pignori futuras pepigiſſet. *d.* §. 3. Retinendæ poſſeſſionis cauſa comparata ſunt interdicta UTI POSSIDETIS, &, UTRUBI, hoc, de rebus mobilibus illud de immobilibus eſt, §. 4. *h. t.*

&c in

& in hunc finem utrumq; datur, ut possessor quietam possessionem retineat & adversarius ab inquietatione desistat. *l.1.D.ut possidet. l. unic. D. utrum.* Recuperandæ possessionis causa solet interdici, si quis ex possessione fundi vel ædium vi dejectus fuerit. *§.6. h.t.* Nam ei proponitur interdictum UNDE VI, per quod is, qui dejecit, cogitur ei restituere possessionem licet is ab eo, qui vi dejecit, vi vel clam vel precariò possideat. *d.§.6. l.1. & seqq. D. Unde vi.* Tertia interdictorum divisio est, quod aut simplicia sint aut Duplicia. *§.7.h.t.* Simplicia sunt, veluti, in quibus alter actor, alter reus est, qualia sunt omnia restitutoria aut exhibitoria. Nam actor est, qui desiderat aut exhiberi aut restitui. Reus est, à quo disideratur, ut restituat, aut exhibeat. Prohibitoriorum autem interdictorum alia Simplicia sunt alia Duplicia. *d.§.3.* Simplicia sunt, veluti, cum Prætor prohibet in loco sacro vel in flumine publico ripavè ejus aliquid fieri. Nam actor est, qui desiderat, ne quid fiat, Reus qui aliquid facere conatur. Duplicia sunt veluti, UTI POSSIDETIS interdictum, & URUBI. Ideò autem duplicia vocantur, quia par utriusq; litigantis in his condicio est, nec quisquam præ-

cipuè

cipuè reus vel actor intelligitur, sed unusquisq; tam Rei quam Actoris partes sustinet, & quidem is vincit, qui possideri deprehensus fuerit non vi nec clam nec precariò, condemnato eo, qui turbavit & inquietavit. *d. §. 4. D. h. t.*

De Pœna Temerè Litigantium.
Titulus XVI.

Hactenus de actionibus & interdictis, quibus rem & jus nostrum persequimur. Considerandũ verò est unicuiq; ad judicium provocanti, ne temerè litiget. Nam temerè litigantes varijs pœnis puniuntur, & modò pecuniaria pœna, modò jurisjurandi religione, modò infamiæ metu coercentur, & à libidine litigandi depelluntur.

De Officio Iudicis.
Titulus XVII.

Actionibus in judicio experiundum est implorato officio judicis. Qua in re initiò illud observare judex debet, ne aliter judicet, quam legibus, constitutionibus aut moribus proditum sit. Quia tamen interdum actionibus propositis aliquid petimus, nonnunquam precibus & supplicationibus vel quo simili modo aliquid impetrare adnitimur, Judicis officium interpretes nostri fecerunt

aliud

aliud Mercenarium, quod institutæ actioni deserviat, Aliud Nobile, quod per se stet & ex libero Judicantis arbitrio dependeat. In illo Jus Civile & ejus regulas strictim observare, & secundum acta & probata pronunciare Judex tenetur. In hoc Jus naturæ ejusq; dictamen sequitur, & ex æquo & bono jus dicit. Quod vel maximè fit in actionibus, noxalibus, ad exhibendum, familiæ herciscundæ, communi dividundo, & finium regundorum.

De Publicis Iudicijs.
Titulus XVIII.

Publica judicia neq; per actiones ordinantur, neq; omnino quicquam simile habent. Cum cæteris judicijs, de quibus locuti sumus, magnaq; diversitas eorũ est & in instituendo & in exercendo sive in instituendi & exercendi forma, *§.1.h.t.* Sunt autẽ publica judicia dicta, quod cuivis ex populo executio eorum plerumq; datur. *d.§.1.* Publicorum Judiciorum quædam capitalia sunt, quædam non capitalia. *d.§.1.* Capitalia sunt, quæ reos ultimo supplicio, vel aquæ & ignis interdictione vel deportatione, vel metallo afficiunt ac puniunt. *d. §.1.l. capitalium.D. de pœn.* Non capitalia sunt, quæ infamiam irrogant

cum

cum damno aliquo pecuniario. Primum Judicium publicum est, Lex Julia Majestatis, quæ datur adversus eos, qui contra Imperatorem vel Remp. aliquid moliti sunt. *§. 1. h.t.l.1. & tot. tit. D.& C. de lege Jul. Majest.* Facinus id tam atrox est, ut pœna ejus, animæ amissionem sustineat, & memoria delinquentis post mortem damnetur *d. §. 1.* Quinimò liberi delinquentis puniuntur, cum in istis paterni sive hereditarij criminis exempla metuenda sint *L. quisquis C. d. t.* Alterum publicùm judicium est, Lex Julia de adulterijs, quæ nuptiarum alienarum temeratores gladio, sed stupratores vel publicatione partis dimidiæ bonorum, vel corporis correctione cum relegatione pro delinquentium personarum qualitate punit & cohercet. Tertiū publicum judicium est lex Cornelia de sicarijs, quæ homicidas gladio ferit. *§. 3. h.t.l.1. & tot. tit. D. & C. ad legem Corn. de sicar.* Quartū est lex Pompeja de parricidijs cohercens parentes vel filios homicidas, eosq; culeo cum cane, gallo gallinaceo, vipera, & simia insutos, & inter eas ferales angustias comprehensos, in vicinum mare aut flumen proijci jubet, ut omnium elementorum usu vivi carere incipiant, eisq;

cælum

cælum superstitibus & terra mortuis auferatur. *§.4.h.t.l 1.& seqq. D.& C. ad legẽ Pompejam de parric.* Quintum est lex Cornelia de falsis pœnã irrogans ei, qui vel testamentum vel quod aliud instrumentum falsum scripserit, signaverit, recitaverit subjecerit. *§.5.h.t.* Quive signum adulterinũ fecerit, sculpserit, expresserit sciens dolo malo. Quod scelus in servis ultimo supplicio, in liberis deportatione punitur. Sextum est lex Julia de vi publica & privata, castigans illos, qui vim faciunt vel armis vel sine armis. *§.6.h.t.* Illos deportatione plectit, Hos tertiæ partis bonorũ publicatione cohercet, Sed raptũ virginis vel viduæ vel sanctimonialis capite punit. *d.§.6.* Septimum est lex Julia peculatus, quæ rem publicam aut rem sacram surripientes pro qualitate personarum delinquentium vel capite vel deportatione plectit. *§.7.h.t.* Deniq; sunt alia judicia publica, de quibus in Constitutione criminali Carolina prolixè agitur.

SOLI JEHOVÆ LAUS, GLORIA, ET HONOR IN SECULORUM SECULA.